SYNODALES

PERILLVSTRIS. AC REVERENDISS. D. IOAN. BAPTISTAE SALVAGI,


Lunenſis, Sarzanenſis Epiſcopi, & Comitis,

Conſtitutiones editæ, & promulgatæ in Diœceſana Synodo, quam idem Reuerendiß. D. primùm habuit Anno M. D. XCI.









PARMÆ, Ex Officina Eraſmi Viothi, M. D. XCIII.
Superiorum permiſſu.

2





IOANNES BAPTISTA SALVAGVS,

Dei, & Apostolicæ Sedis gratia Lunensis, Sarzanensis Episcopus, & Comes,

Vniuerso Diœcesis nostræ Clero, cæterisq; fidelibus Salutem in Domino.





I priscum naturæ Ius, hominumq; conditio illa prior etiam nunc staret, quo semel iam inde ab ipsius orbis initio cœperat statu; atq; aurea mundi illa ætas vigeret adhuc, quæ olim nullo uindice, nulloq; duce fidem, rectumq;

ſponte ſua colebat; nec terris denique exceſſiſſet Innocentia, ac originalis Iuſtitiæ munus, quod hominum generi impertitum eſt iamtum, cum Deus Optimus Maximus primum hominem condidit, nullis ſanè legibus eſſet opus, & inanes forent penitus tot Decretorum Conſtitutiones: Quæ vtinam adeò neceſſariæ nuſquam in Chriſtiana Republica exigerentur; aut ſaltem, ne nimij in optando eſſe videamur, in hac noſtra Diœceſi non eſſent adeò deſideranda: Non ea ſane afficeremur moleſtia, neq; ea nos cura angeret, aut excruciaret ſolicitudo, quæ quanta nos afficiat, angat, excruciet, ſentimus ipſi quidem in nobis, non facile tamen dixerimus. In ea.n. tempora incidimus, cum Iuſtitia, ac virtus quaſi hominum offenſa flagitijs è terris prorſus emigraſſe videtur: Qua deſtituti homines à recto ſalutis itinere aberrantes varios ſequuntur anfractus, tutam deſerentes viam in præceps miſerè delabuntur; atq; in errores immerſi, vitijſq; obruti, in eo ſunt ſtatu conſtituti, vt vix ipſis ad æternæ ſalutis ſpem locus ſit relictus. At vero, quòd grauius ad nos perturbandos

habuit momentum, Clericorum ipsorum, qui Catholicæ nauis curæ præpositi sunt, plerique vel locorum ignari, vel certè negligentes, ita officio desunt, tantumq; abest, vt nauem ad portum saluam appellere studeant, atq; in tuta statione collocare, vt maximè verendum sit potius, ne ea aut fluctibus obruatur, aut ad scopulos infeliciter allisa infelici depereat naufragio. Quare, vt id oneris à nobis susceptum est, ac vbi primum ad huius Diœcesis clauum tenendum, & tractanda gubernacula accessimus, iam tum in id studium incumbere cœpimus, vt populum, qui nostræ curæ traditus erat, atq; commissus, ab erroribus reuocaremus, atq; ad rectum dirigeremus virtutis portum. Totam igitur Diœcesim nostram ob id perlustrauimus; omnia, quoad per angustiam properati temporis dabatur, perpendentes, quæ animaduersione egere videbantur; atque errorum populi nostri causas exactè studuimus intelligere: Quod simul atq; assecuti sumus, prout per impares ad tantum onus vires nostras licuit, omnibus Decretorum, & Constitutionum præsidijs opportunis opem ferre con-

tendi-

tendimus: Conuocataq; inde est aliquandò prima nostra Synodus; in qua proposita sunt consilia nostra, & promulgatæ Constitutiones: Quas vt ab omnibus, qui Synodo interfuerunt, iam exceptas, & comprobatas, ita nunc demum obseruandas in lucem edimus; quasq; vt obseruandas censemus, sic cupimus etiam obseruari. Cupimus autem vos, & qui clericali militiæ addicti estis, & cæteros fideles nostræ Diœcesis omnes ex ipsarum Constitutionum nostrarum præscripto, ex sanctarum legum formula, ex vniuersi sacri iuris norma omnia obseruare, atq; peragere non vllius quidem propositæ pœnæ formidine, sed amore iustitiæ, ac virtutis, quæ honesta est, & per se laudabilis: Pœna quippe, ac metu improbi tantùm coërcendi sunt, atq; à vitijs deterrendi; sola honestatis pulchritudine boni alliciuntur, mouentur, eorumq; animi ad probitatem facile exsuscitantur. Hoc si (vt optamus atq; etiam confidimus) præstitum à vobis omnibus fuerit, sperare videmur, futurum, vt aureum sæculum alterum reddatur, fugatæq; virtutes iterum redeant. Nunc, quod reliquum est,

huius

huius nostræ Diœcesis sæculares Magistratus, Dominos, Principesq́ omnes etiam atq; etiam obsecramus, vt ubi occasio tulerit, sua etiam ipsorum auctoritate, & brachio in sua quisque ditione Cõstitutionibus his ipsis obseruandis contra improbos adesse ne grauentur, easq́, vt par est, suo firment imperio. Vos itaq; appellamus, quos sacrosancti iuris vindices, piarum legum fautores, & Christianæ Religionis efferendæ cupidißimos propugnatores fore confidimus, vos ipsos in Domino obsecramus, fidem vestram, iustitiam ac pietatem imploramus, quo rationibus his nostris suffragemini; cum eæ sint, quæ Catholicos mores præcipiant, cultumq; sanctißimum spectent Dei optimi Maximi. Qui votis vestris adsit, dignitatisq; vestræ decus interris augeat, ac demum ex animi vestri nostrique sententia cumulatè in cœlesti Regno perficiat, ubi pace fruamini sempiterna.



huius nostrae Dioecesis saeculares & Magistra-
tus, Dominos, Principesq; [illegible]
etiam obsecramus, [illegible]
etiam ipsorum auctoritate, & brachio, ut
quisque diuinae Constitutionibus [illegible] obser-
uandis contra [illegible]
eosq; cui par est, [illegible]
itaq; appellamus, quos [illegible]
ces, quorum legum sanctarum, & Christianae
Religionis asserendae cupidissimos primum fo-
re fore confidimus, uos ipsos in Domino obse-
cramus, [illegible]
tem [illegible], quo rationibus his nostris
suffragemini, [illegible] Catholicae
morum praecipiunt, [illegible] spe-
ctent Dei optimi Maximi. Qui uestris uestris
adsit, dignitatisq; uestrae [illegible]
ficet, ac [illegible]
sint [illegible] in caelesti Regno perficiat,
ubi pace sempiterna fruamini.

IOAN. BAPTISTA SALVAGUS,

Dei, & Apostolicæ Sedis gratia Lunensis, Sarzanensis Episcopus, & Comes.

In Diœcesana prima Synodo nostra, hæc quæ sequuntur statuimus.

Prædecessoris nostri Constitutionibus, quę tamen his non aduersentur, in suo robore duraturis.

De Consortio Iudæorum euitando, ac nota, signouè ab ipsis gestando, quo à Christianis internoscantur.
Cap. I.



Mnes, qui sacro Iesv Christi Baptismo initiati sunt, ac piæ ipsius militiæ addicti summa ope niti decet, vt non solum integram Domini fidem teneant, sed eam etiam sibi vitam instituant, quæ sanctissimo Christiani militis nomini

reſpondeat: Quare, cum Iudæi Chriſtianæ Religionis domeſtici ſint hoſtes, & ob id pro certo habendum eſt ipſos in ea cura, & cogitatione ſemper verſari, vt dum id commodè poſſint, Chriſtianam veritatem mendacij falſitatisq; caligine obducant, integros mores corrumpant, atq; omnem pietatem pro viribus euertant, à Chriſtifidelium conſortio, ac familiaritate omninò prohibendi ſunt, ac ſeiungendi, cauendumq; eſt ne ignoti inter catholicum cœtum vagentur: Ad id ergo genus hominum à fidelibus ipſis internoſcendum, ac euitandum, præcipimus, vt Iudæi intra Diœceſ. noſtræ fines commorari volentes nota aliqua, vt apud alios etiam iam vbique ferè conſuetudine receptum eſt, inſignes incedant; mares quidem pileo, aut ſaltem velo, pileo ipſi inducto crocei coloris; mulieres vero eiuſdem coloris pannulo, quod à vertice capitis patenti loco vſque ad medios humeros inter ſcapulas pendeat non minoris latitudinis quam digitorum trium. Qui verò noſtræ huic ſanctioni non paruerit aureo vno Confratribus Sanctiſſimi Corporis Chriſti, vel tabernaculi Maioris Eccleſiæ ornamento applicando toties multetur quoties non paruiſſe repertus fuerit. Quod ſi quis tertiò iam ita mul-

tatus

tatus huius constitutionis rationem habere noluerit, eum vndique e finibus nostris emitti, ejici, ac penitus arceri præcipimus.

Christiani autem vtriusq; sexus ne sint Iudæorum contubernales, nec Iudæis sese consuetudine immisceant, ipsisuè familiariter vtantur, sed eorundem consortia penitus euitent eis inseruire oderint, cum ijs comedere, ludos exercere, choreas ducere, & reliqua id genus omnia, ac singula, cum ipsis agere omnino renuant, atq; exhorreant. Mulieres verò præsertim, ne huiusmodi hominibus inseruientes operam suam vllo modo præstent, eorumq; pueros alendos ne suscipiant. Qui secus egerit, primo admonitionibus corripiatur, deinde verò expellatur ab Ecclesiâ, ac tertiò demum excommunicetur. Sciant autem omnes ægrotanti nemini licere, dum opera Christiani medici vti commodè potest, accersere Iudæum quempiam, vt potè Crucis CHRISTI aduersum, atq; impium inimicum.





De Prædicatione, & Doctrina Christiana.

Cap. I I.



QVAM necessaria Christiano populo ad rectam Catholicæ fidei doctrinam, & ad honestam, piamq; morum institutionem semper sit legitimi Doctoris fidelis opera, frequensq; ministerium, vel ex eo intelligi potest, quòd in omnibus ferè huius nostræ Diœces. opidis, reliquisq; ipsius locis passim reperiantur, non pueri solum, sed (ò rem miserã) senes etiam, qui ea, quibus æterna salus comparatur ad quam homo conditus, atq; ad imaginem, & similitudinem Dei creatus est, penitus nesciant, ac ne Crucis quidem signo se munire rectè didicerint, ac norint, id quod Curatorum præcipuè culpa accidit, qui partes suas, vel neglexerunt adhuc, vel fertè ignorarunt. Non ab re igitur sanxere Tridentini Concilij Patres, vt per Parochos, animarumq; curatores quoscunq; Dominicis saltem, ac festis diebus, qui ex præcepto Ecclesiæ solemnes coluntur, aut munus obeatur prædicationis ad populum, aut sermo aliquis habeatur, quò dilucidè ex ijs, quæ leguntur in Missa aliquid exponatur, ea tradantur, quę scire

omnibus necessarium est ad salutem, vitia demonstrentur, quæ declinare; virtutes, quas sectari oportet: Rectè item ab ipsis Patribus statutum est, vt eisdem Dominicis, festisq; diebus pueri in Ecclesijs rudimenta fidei edoceantur, atq; ad sanctám obedientiam erga Deum, & parentes diligenter instituantur.

Quare nos etiam maiorum nostrorum vestigijs inhęrentes, quippe qui permittere vllo pacto nolumus vt paruuli panem petant, nec sit qui frangat eis, sed morum institutione, fideiq; doctrina, tanquam pabulo vitæ pascantur nutriantur, & confirmentur, quibuscunq; animarum curatoribus præcipimus sub pœna tertię partis persoluendæ, annuorum fructuum Curatæ, cui præsunt, Ecclesiæ, ne ipsum prædicationis, doctrinæq; Christianæ munus, aut adhuc incipiẽdum differant, aut incœptum intermittant, desérantuè.

In vicis autem, locisq; humilioribus, vbi pueri, cæteriq; ob domorum, quæ longiquę ac (partim positæ absunt ab Ecclesia, distantiam, aut fortè ob parandi uictus necessitatem difficilè ad Doctrinam Christianam, & nullo ferè modo conuenire queunt, Parochi supradictis diebus ex præcepto obseruandis inter celebrandum ante-

quam sermonem incipiant, signēt se signo Crucis, docentes interim rectum huius faciendi modum; ac dum exprimunt Patris, Filij, & Spiritus sancti nomen, aliqua ad audientium captum accommodata de Trinitate, ac vnitate sæpius inculcent; Orationem Dominicam, Symbolũ Apostolorum, ac Diuinæ legis præcepta uoce articulata, clara, & decenter alta pronuncient, recitentq; ; ac demum sermoni suo habendo initium faciant. Si quis autem officij sui uel oblitus, vel nullam rationem habens, semel atq; iterum cõtra præmissa fecerit, earum hebdomadarum fructuum amissione puniatur, quibus id muneris prætermissum esse compertum fuerit.

Parochi, cæteriq; quicunq; confessarij, etiam regulares, neminem, qui Orationem Dominicam, Apostolorum Symbolum, & Decalogi præcepta memoriter pronunciare nesciat, semel absolutum, nisi prius hæc ipsa didicerit, iterum confitentem absoluant; dum tamen is adeo rudis, senioue ita confectus non sit, vt ad ea ipsa memoriæ mandanda omnino sit impar, atq; inhabilis, id quod Confessariorum iudicio tractandum, ac ponderandum relinquimus.

In pueris autem ad Christianam fidē, ac pietatem insti-

inſtituendis, is omnino libellus in vſu ſit apud noſtrates, quem nos ad hoc imprimi nuper curauimus. Parochi verò, qui contrafecerint, pœnas ſe daturos ſciant.


De Feſtorum dierum cultu. Cap. III.



VLLVS eſt, qui non videat, quàm rationi conſentaneum ſit, vt quem intimis ſenſibus piè colimus, eum & externo aliquo cultu veneremur: Quod cum non omnibus diebus æquè facilè ab omnibus prȩſtari poſſit; plerique enim humanarum ſæpius rerum occupationibus detinentur; iure optimo cum Sanctorum Patrum Decretis, tum ipſius Dei lege certum quoddam tempus ſtatutum eſt, & certi quidam dies delecti, atque præſcripti, per quos, dum in ſpiritualibus verſamur, à terrenis curis, quæ nos à diuinarum rerum ſtudio auocare poſſunt, atq; abſtrahere, ſit diſcedendum. Nos uero, cum nonnullos in Diœceſi noſtra ſæpe reperiri acceperimus, qui eouſque temeritatis progredi audent, vt ſanctiſſimi huius præcepti legem negligant, ac paruifaciant, alijs omnibus incumbẽtes potius, quam diuino

cultui; ideò non ſolum legem hanc obſeruari mandamus inuiolabiliter, ſed etiam ea omnia, quæ, & ſummorum Pontificum, & Prędeceſſoris noſtri Conſtitutionibus piè de feſtis colendis ſunt ſtatuta; hoc addentes, vt pœnę ijſdem ſanctionibus contra violantes piam hanc colẽdorum feſtorũ religionem conſtitutę in duplum augeantur; volumus.n.quoad per auctoritatem noſtram licet, atque quoad eius fieri poteſt, vt noxiæ pœna par ſit, cęteriq; eorum exemplo deterreantur.

Principes pręterea, cęteroſq; noſtrę Dioceſis temporales Dominos Paſtorali hortamur Caritate, ac per viſcera miſericordiæ Dei noſtri obſecramus ne Choreas, ſaltationes, tripudiaq;, quę Sathanę plerumq; ad animarum perditionem ſunt inſtrumenta, ipſis feſtis, Deoq; ſacris diebus vllo modo, nec publicè, nec priuatim exercita ferant; eo præſertim tempore quo ſacra in Eccleſijs fiunt, ac diuina celebrantur; ac vbi pręcipuè incidit feſtum aliquod ſexta feria, quę paſſionis Domini noſtri Redemptoris IESV CHRISTI memoria recolitur.



De

De Sacramentis in genere:
Cap. IIII.



VM ſacra, & diuina quædam res ſit ſacramentorum adminiſtratio, nemini dubium eſt quin maxima cum veneratione, atq; externo religionis cultu ſit etiam præſtanda: Maximè enim decet, quæ ſancta ſunt, ſanctè tractare: Quippe euidens ille cultus, atq; externę cęrimonię ſacra miſteria referentes rei ſanctitatem magis indicare, ac veluti ante oculos ponere videntur, & pietatem in ſpectantium animos altiùs imprimere, ob id igitur huius noſtræ ſanctionis vi præcipimus ſęcularibus Clericis quibuſcunq;, ne ſacramenta laicis in Eccleſia adminiſtrare, niſi ſacros Eccleſiaſticos habitus ſuperpelliceum ſcilicet, aut albam ſaltem induti, ſub pœna ſuſpenſionis audeant: Exceptis fortuitis, atq; inopinatis caſibus quibus veriſimile ſit Epiſcopum ipſum, ſit adeſſet, aliter permiſſurum.

Vniuersè id, ac generatim de omnium ſacramentorum adminiſtratione ſancitum ſtatutũq; ſit: Quoniã autẽ in ſingnlis ſacramẽtis quædã, aut huius, aut illius peculiaria, partim ad ipſorum

perſe-

perfectionem, atq; essentiam spectantia, partim verò, quæ licet naturam rei non attingant, prætermitti tamen sine peccato non possunt, à plerisque vel corrupto modo exerceri, vel negligenter omitti animaduertimus; ideò prætèr illa, quę à Prædecessoribus nostris sancita reperimus, singillatim etiam de vno quoq; sacramento inferius aliqua statuere nobis visum est, quæ ab omnibus, ad quos spectauerint, animaduerti atq; obseruari debebunt.

De Sacramento Baptismi. Cap. V.

NE mulier vlla sub excommunicationis pœna obstetricis munere, nisi necessitate cogente fungatur infantem ex materno vtero suscipiens, quæ prius à Parocho facultatē in scriptis non obtinuerit: Parochus autem facultatem hanc concedere quidē gratis debeat, sed illis tantùm mùlieribus, quæ Baptismi formam calleant, essentialia nimirum verba vulgari saltem sermone proferenda; & quæ eiusdem etiam norint materiam; elementalem scilicet aquam; quę super infantis baptizandi caput, necessitate tamē aliud non suadente, infundēda est â baptizante cum ipsa verborum expressione.

Quo

Quo Baptizandis imponantur nomina Sanctorum virorum, quos catholica canonizauit Ecclesia, neq; tamen ipsa, quod sæpius vsu venit, quodq; tanquam Christiano homine indignũ prohibemus, cum profanis nominibus componantur, nostra Synodiq; huius authoritate sanctorum nomina ex Martyrologio deprompta baptizandis imponi mandamus.

In Baptizando verò nemo aquam sine aliquo vasculo, manu ipsa pro vasculo vtens super infantis caput infundat, excepto necessitatis aliter exigentis casu. Qui secus egerit, acriter puniatur.

Quòd autem in Constitutionum Prædecessoris nostri impressione legitur Patrinos cum Baptizante affinitatem spiritualem contrahere, Parochi id erratum sciant; doceantq; ex Tridentini Cõcilij præscripta ratione spiritualem huiusmodi cognationem inter Baptizantem tantùm, ac Baptizatum, huiusq; Patrem & matrem; nec nõ inter eos, qui de sacro fonte Baptizatum suscipiunt, ac Baptizatum ipsum, eiusdemq; patrem & matrem oriri, ac contrahi.

Nullo nomine, seu vt vulgo dicitur, sub nullo prætextu librum Baptizatorum liceat ab Ecclesia, seu à Parochialibus ædibus, pignore etiã deposito exportare sub pœna aureorum decem, aliaq; maiori

maiori arbitrio nostro reseruata, animarum Curatori infligenda: fit enim quandoque, dum libri exportantur, vt ij aliena in curia pereant, aut etiam de industria corrigantur; seu potius corrumpantur, & adulterentur. Parochum autem obligatum volumus ad fidem de requisitis propria manufaciendam; siue, si id malit, ad librum ipsum, quocunq; opus fuerit, exportandum, ac deferendum; ita tamen, vt ex eius ipsius Parochi manibus aliò non transmittatur.


De Confirmatione. Cap. VI.



INter cætera huius Diœcesis nostrę mala illud etiam non leuè est habẽdum, quod hac hominum ætate Confirmationis sacramentum plerique, vel penitùs magno cum dispendio prętermittant, vel vsque ad senium non sine graui periculo dissoluta quadam negligentia differant, nonnulli vero propterea, quòd idem ante vsum rationis præpropera parentum festinatione susceperunt, huius obliti, omninò nesciant, an tam salutari Chrismate vncti, atq; ad spirituale certamen aduersus tot hostes, & quotidiana pericula muniti sint, spiritumq; principali confirmati. sicut igitur vltra duodecimum

mum annum nullatenus expectandum, ac procrastinandum est; ita ante septennium, licet post Baptismum omnibus possit confirmatio administrari præproperè festinandum non videtur; quò nisi tota ea, qua decet, aliqua saltem adhibita animi pietate, ac Religione suscipi valeat, atq; ille, qui susceperit, semper meminisse possit se tanquam verum CHRISTI militem signatum esse, ac in Christiana militia ad pugnam confirmatum. Preterquam quod ad id pugnæ genus aptos non esse pueros; qui adhuc rationis vsu carent, nemo est, qui non videat. Quare præcipimus, ne puer adhoc sacramentum suscipiendum vllus admittatur, qui rationis vsum non habeat, & qui non modò memorare valeat, quid agat, sed etiam mente percipere.

Doceant verò Parochi ex cognatione spirituali, tàm ex confirmatione, quàm ex Baptismo oriri impedimentum non solum impediens matrimonium; sed iam contractum etiam dirimens.



De

De Sanctißimo Eucharistiæ Sacramento.

Cap. VII.

DVM ad infirmos sacra defertur Eucharistia, tabernaculum in Ecclesia vacuum, prout alicubi fieri reperimus, relinqui prohibemus omninò: sin autem sic fieri contingat ex aliquo casu, lampas tunc ante tabernaculum extinguatur; ne quis fortè Dominum in eo adorans idolatriam deceptus committat.

Vbi in controuersiam quacumq; occasione deductum est cuius nam sumptibus lampas coram tabernaculo ardere debeat, Parochinè, an societatis Corporis CHRISTI, an fortè aliorum; quod in causa est, vt aut tabernaculum vacuum relinquatur, aut in eo sanctissima Eucharistia, lumine extincto indecorè conseruetur, Ecclesiarum curatoribus mandamus sub pœna decẽ aureorum, vt tantisper, dum à nobis definiendum pendeat, caueant ne pecuniæ parcentes huiusmodi scandalum oriri permittant.

Ne Vranisci, seu vt vulgo dicunt Baldachini vsus intermittatur, dum propius, vmbellę vero, dum longius deferenda est Eucharistia; iuxta formã suo loco traditam.

Dum

Dum quis ægrotans ſacra communione reficiendus eſt, eius domeſtici omnes edoceantur à Parocho, vt Dominò aduenienti aſſurgentes, obuiam ad ipſarum ædium fores prodeant.

Ad excitandam autem in quamplurimis relaxatam, ne dicam extinctam animi deuotionem, qui patiuntur Sanctiſſimum hoc ſacramẽtum ab omnibus, vno Clerico excepto derelictum ad infirmos deferri, quadragenos Indulgentiæ dies ipſum ſacramentum piè proſequentibus concedimus, ac præterea mandamus, vt vbi ſocietates Corporis CHRISTI erectæ ſunt, ac inſtitutæ, aut etiam inſtituendæ, Parochi noſtro nomine earum capitulis hoc adijciant, vt quattuor ſaltem Confratres quolibet trimeſtri per officiales eligantur, qui Sanctiſſimũ CHRISTI Corpus quotieſcunq; tulerit occaſio, ad infirmos perſequantur, & certo hoc officio fungentes certi præſto ſint partibus ſuis agendis. Qui verò negligentes ipſorum fuerint multa duorũ ſolidorum Genuenſiũ multentur quotieſcunq; ſuum id munus non præſtiterint.

Subortam dubitationem ex illis veterum conſtitutionum verbis (*Ne deferatur ſacramentum per modum viatici, niſi his infirmis, quibus vitæ immineat periculum, & ſemel tantum in eadem infirmitate*) ſic

ſic nos declaramus. Non eſſe ſcilicet Euchariſtiam pro viatico adminiſtrandam, nec ea verba in vſitato rituali poſita (*Accipe frater viaticum &c.*) eſſe proferenda, niſi conſtitutis in vitę diſcrimine fidelibus: vt contingere ſolet ijs, qui frequentibus febribus laborant, & affligũtur; nõ autẽ ijs, qui intermiſſa, ac longiori ęgritudine affecti vitalis panis cibo refici cupiunt. Hi nanq; ex eo potius, quòd Eccleſiam adire nequeũt, ad ſe ſanctiſſimam Euchariſtiam petunt deferri, quàm quòd ſe breui morituros arbitrentur.

Et ſi paſchale tempus, quo annuæ communioni ex Eccleſiæ præſcripto danda eſt opera à Dominica Palmarum, vſq; ad Dominicam in Albis incluſiuè, perdurare, extendiq; declaramus, veterem ſuper hoc conſtitutionem reformantes; nolumus tamen confeſſiones eorum, qui ad Sabbathum ſanctum ipſas diſtulerint, ea die per Parochos audiri; ſed poſt primum Paſchalem diem etiam differri.

Nec in communione adminiſtranda, niſi ex neceſſaria cauſa, ſacræ particulę præbeantur dimidiatæ; vnde plebs ſępę ſcandali deſumit occaſionẽ; ſed ſemper omninò integræ adminiſtrentur.

Ac vt vniformiter ab omnibus Diœceſis noſtræ Sacerdotibus idem in huius ſacramẽti adminiſtra-

ſtratione modus ſeruetur, ſtatutum à Prædeceſ-ſore noſtro ritum inuiolabiliter ab omnibus obſeruari mandamus, atq; adhiberi; id nos addentes tantummodo, vt ſacerdos, dum alijs administraturus, hoſtiam dextera manu ſuſtinet rectus corpore ſtet, ac inter proferendum, Domine nõ ſum dignus, pectus minime percutiat.

Nullus ad Euchariſtiam primò ſumendam accedat, niſi prius proprium confeſſarium, Parochũ præſertim, cõſuluerit, & ab eo in re tanta conſilium, ac aſſenſum habuerit: qui tamen aſſenſus haud illi concedendus erit, qui omninò ignoret, quæ ſit ipſius ſacramenti vis, ac quid in eo contineatur, neſciat. Qui verò confeſſariorum id ſecus agi permiſerit, ſe de tradito canibus ſancto rationem Deo redditurum ſciat.

Sacras particulas, quæ in tabernaculo adſeruantur, per æſtiuum tempus qualibet quinta feria renouari mandamus: Reliquis verò temporibus bis ſaltem in ſingulos menſes id fiat.

Experientia docuit factu difficillimum reddi, quod ad obſeruandos eos, qui Paſchali tempore ad panis huius cœleſtis conuiuium accedunt, atque internoſcendos illos, qui Eccleſiæ de hoc ipſo præceptum negligunt, à Prædeceſſore noſtro ſtatutum eſt; vt nimirum nomina quorum-

cumq;, qui sese Paschatis statuto tempore sacrã communione reficiunt, inter actionem ipsã in libello, aut alia cartula describantur. Nos propterea mandamus, vt de duobus alterũ Parochi eligãt; nẽpe vel cartulas sigillo aliquo, seu alia impressa nota signatas, quæ annuatim renouentur, cuiq; iam communione refecto singulas per clericum Purificationis vinum ministrantẽ præbendas curent, easdemq; postmodum à singulis familijs intra dies quindecim redimentes, cum libro de statu animarum conferant; ac inde registrare, vt vulgo dicitur, singula studeant: vel paulo ante Paschale tempus confectis nominum schedulis, siue vt vocant, polizis animarũ, quæ in vnaquaque familia sunt Eucharistia reficiendæ, in singularum schedularum fronte notent cuiusq; familiæ numerum, in quo reperitur ordine descripta; vt exempli gratia, si Petri familia in Parochi libro decima sit, cuicumq;, qui ex ea familia sacræ communionis sit capax, numerus idem in schedula denarius apponatur. Mox autem inter benedicendum ædes Parochi suam cuique schedulam singillatim relinquentes, & in ipso deinde communionis actu redimentes, demum cum prædicto libro de statu animarum schedulas ipsas, singulas singulis familijs

milijs appoſitas, conferentes, ſi quis forte ſacramentum hoc ſanctiſſimum neglexerit, facilè ſic deprehendere poterint. Quod quidem facilius etiam fiet, ſi ſuper alicuius tabulæ, vel alius rei ſatis latam planitiem ſchedulæ ipſæ extenſæ, ac iuxta numerum in ſingularum fronte poſitum ſelectæ ordinatim diſponantur: ſic. n. ſchedulæ denario numero ſignatę, vno, eodemq; loco poſitæ ſimul ad Petri familiam omnes pertinere percipientur; vnde clarius apparebit, an familiarum ſchedulæ libro ipſi correſpondeant, an verò aliquæ deficiant.

Corporale paruum, quod pyxidi, vaſculoue argẽteo pro Euchariſtia ſolet inſeri, non imam tantùm partem, ſeu fundum, ſed pyxidem totam intus vndique contegat: ſitq; ſubtiliſſimo acus opere eleganter aſſumptum, ac benè, & firmiter iunctum; non vaſculo tamen agglutinatũ, ſed quod amoueri poſſit.

Si verò Pyxis aurata ſit, atq; adeò leuis, & perpolita, vt verendum minime ſit, ne fragmenta intus deliteſcant, corporale quodcumq; amoueatur omnino, cõbuſtiq; cineres in ſacrari inferantur.

Ne Purificatio digitorum ſacerdotis ſi ſecus fieri poteſt, in ſacrarium, neq;, quod nequius eſt, fragmenta ſuper corporali in pyxide caſu reli-

cta in Baptisterium proijciantur, sed aut suman tur, aut sumenda conseruentur.

Mandamus etiam ne oratio, quam vocant quadraginta horarum, priuati cuiusquam rogatu, nobis inconsultis, instituatur; sed ob publicam tantum causam. Tunc verò luminaria ante altare ardeant non pauciora, quàm duodecim, custodibus senis saltem qualibet nocturna hora circum, seu hincinde vsque vigilantibus; sæpius .n. contingit, vt dum ex priuatorum deuotione huiusmodi oratio instituitur, sanctissimę Eucha ristiæ sacramentum ab omnibus destituatur.

Prauā consuetudinē, quę iā multis in locis inoleuit, nos abolere cupiētes; qua scilicet eos, qui ob flagitia morte multati ab hac mortali vita per trāsi tum maxime arduum sunt discessuri, salubri Eucharistiæ viatico refici, ac muniri non permittitur, animarum mandamus curatoribus, vt miseros id genus homines sæpius visere, eos ad peccatorum dolorem excitare, ad sacramentalem confessionem hortationibus inducere, atq; ad saluberrimi viatici pabulum allicere totis viribus curent. Principes verò, locorumq; magistratus in Christi Iesu visceribus hortamur, vt id non solum non impediant; sed potius ea, qua pollent Caritate, & auctoritate, agendū curent.

De

De Missa. Cap. VIII.



VBi Prædecessoris nostri Decreto cautum est, ne sacrum fiat ante Primæ horę preces vel (vt ijsdem verbis vtamur) ne sacerdotes ante celebrent, quàm officium Matutinum, & primam horam Canonicam persoluerint, id nos in Choro tantùm locum habere declaramus, hoc est in Ecclesijs, in quibus horariæ preces Canonicæ, cæteraq; diuina officia, & laudes ex debiti iure celebrantur; quemadmodum apud regulares etiam Missæ Conuentualis sacrum ante Matutinas, primæq; horæ preces haud quaquam fieri consueuit.

Sacerdotum nullus Missæ ritui, aut verbis quicquam detrahere audeat, vel preces quasdam superaddere deuotionis nomine; In quo non nulli superstitiosa decipiuntur religione, ignorãtes in Missæ sacrificio vel ipsum silentium mysterio non vacare.

Quò autem defunctorum animæ debitis non defraudentur suffragijs, præcipimus, vt quicunq; beneficiatus, qui certo missarum numero est addictus iniuncto satisfaciat oneri. Qui verò nõ satisfecerit, hunc à nemine, in casibus etiam no-

bis reseruatis facultatem habente absolui posse volumus, nisi satisfactione ipsa præmissa; irrito existente quocunq;, quod attentatum contra prædicta fuerit. Sin autem quis propriæ salutis oblitus, Deumq; vindicem nil timens munus, quod suum est, nostraq; monita negligere, ac paruipendere conuictus fuerit ad debitam satisfactionem præstandam, & per alium sacerdotem implendam cogatur; ac in duplum pœna iam alias præscripra, iure quidem merito, in eũ augeatur. Quod si quis de iniquitate in iniquitatem prolabens post neglectam sui oneris satisfactionem, Diuinæ lęsæ Maiestatis reus Missam celebrasse repertus fuerit, ab officio, & beneficio item per annum suspendatur; atque interim legitimis ferijs præscriptam pœnitẽtiam agere compellatur.

Ne hostiæ consecrandæ minoris sint latitudinis, quàm digitorum trium cum dimidio. Habeant verò ab altera parte impressam crucifixi Domini imaginem, non autem rosas, flosculosue, aut simile quid profanum. Quicunq; autem post annum ab his nostris constitutionibus elapsum hostijs præfinita forma minoribus, aut nulla Christi imagine decoris vti deprehensus fuerit per visitatores ex arbitrio puniatur.

Licet

Licet Prædecessoris nostri constitutionibus de altaribus id inter cætera statutum sit, vt lapides sacri in altarium mensas ita inserantur, vt nullo modo superemineant, sed mēsarum superficiei adæquentur; nos tamen congruum etiam fore declaramus, si ab Altaris mensa lapis sacer emergat, seu emineat aliquantulum; quo sentiri, ac discerni queat à celebrante, & oblata loco possint collocari decenti; & sic omnino posthac fieri iubemus.

In Ecclesijs in quibus plures missæ celebrari consueuerunt, Rector, seu Præpositus, vel sacrista, aut quocumq; nomine Ecclesiæ, seu sacristiæ Præfectus ius habeat Missarum ipsarum vices nullo contradicente pro libito ad Populi commoditatem ordinandi, ac distribuendi: si quis autem eius mandatis, aut dispositioni tabellę ab eo propositę non obtemperauerit, graues ad arbitrium nostrum dabit pœnas: Hac lege tamē, vt dum Missa maior canitur, ante eleuationem Corporis Christi minor Missa in eadem Ecclesia celebrari non incipiat; nisi requirente quandoque loci Domino temporali, aut insigniorū locorum summo Magistratu.

Sancte quidem statutum repetimus Clericum nullum externum, seu aduenam ad Missæ cele-

lebrationē admittendum sine dimissorijs litteris ab Episcopo, aut Vicario concessis: nos tamē pium hunc rigorem in eos, qui licet alienæ Diœcesis, vicini tamen accolæ sunt, probatis moribus præditi, ac demum non ignoti, relaxādum sancimus, ac volumus. Nullus tamen sęculariū clericorum ad Præsbyteratus ordinem promotus primum facere sacrum, seu primam missam celebrare audeat, antequàm à cærimoniarum Magistro in Ciuitate Sarzanæ deputando probatus facultatem obtinuerit. Id, quod obseruari etiam volumus à sacerdotibus quibuscunq;, cū primū aliundè in Diœcesim nostrā aduenerint. Qui secus fecerit, à missæ celebratione quandiu nobis visum fuerit, suspendatur.

Impetrandam veterum Constitutionum iure facultatem celebrandi in oratorijs non pro Sacerdote quolibet ex deuotione celebrare volente, sed pro Oratoriorum ipsorum Dominis, Rectoribus, seu Capellanis intelligi declaramus: eamq; necessariam esse statuimus interdictis tantùm temporibus, vetitisq; diebus: Alijs.n.temporibus cuique Diœcesano Clerico in Oratorijs adhoc probatis celebrare liberum esto.

Campana maior, quæ ex Prædecessoris nostri iussu in Missa solemni ad eleuationem Corporis

CHRISTI,

CHRISTI, dum fit, significandam pulsanda est, ictibus tantùm frequentibus, ac ternis; nō autem hinc inde per extensum, vt dicitur, pulsetur: Idq; hoc particulari modo fieri volumus, quo fideles in vicis, via, plateis, aut alibi proximè existentes, signum hoc ab alijs internoscentes intelligant eo se ad Dominum adorandum, atq; interim genuflectendum inuitari.

Ne sacerdos post Missæ sacrificium expletum ex altari circunstantes salutaturus sese vertat, nisi ad præsentem Prȩlatum, lociuè Dominum temporalem.

Cum sacerdos sacrum facturus iam sacerdotales vestes indutus peccata vult confiteri, antequam coram confessario genuflectat, casulam saltem humilitatis ergo deponat.

Qui verò ad altare sacrum facit, ne ab infimo ipsius aræ gradu populi oblationes accepturus discedat iuxta prædecessorum placita sancimus nos etiam, ac ordinamus: Minime tamen interdicimus, quin ministrorum aliquis paramenta, vt aiunt, Ecclesiastica pro ordine, quo fungitur, indutus, Diaconus nempe, vel subdiaconus, aut alius sacerdos indutus superpelliceū, seu cottam, ad oblationes mulierum recipiēdas mitti possit; dumtamē vltra terminū, seu potius

inter-

intermedium virorum, ac mulierum pro terminis constitutum, aut communiter habitum nõ progrediatur. Quicumque autem per Ecclesiá vagabitur, debitas, si ad aures nostras peruenerit, ex rei indignitate pœnas luet.

Nec tamen in ipsis oblationibus recipiendis sanctorum reliquiæ, quæ decenti nobiliq; loco cõditæ custodiendæ sunt, populoq́; interdum, quà decet veneratione, ostendendæ, nec item sacra patina, aut aliæ id genus sacrę res populo passim ad osculandum præbeantur, sed aut crux, aut imago, quæ pacis dicitur, aut stolæ extremum offerentium ori prætendatur. Ne festo Sancti Blasij die, alioue tempore sacerdos sacrum faciens, aut vllus alius Ecclesiæ minister collum fidelibus cingat circulo ferreo, aut accensis hinc inde candelis simul iunctis: neque candelarum oblatarum certus accipiatur numerus; aut qui sufficiat ad commensurandum, cingendumuè puerum quempiam, nec demum quid aliud committatur, aut permittatur, quod muliebrem sapiat superstitionem, vel vanam, superfluamq́; religionem præseferat.

Qui certis diebus certa aliqua in Ecclesia sacrum facere, seu Missam celebrare tenetur quacumq́; causa, ijs diebus aliò se conferre, etiam alicuius

festi

festi occasione, apud amicum titularem celebrãdi, vllo modo licere minime sibi persuadeat; nisi saltem suas vices alium aliquem gerentem in sua Ecclesia sacerdotem sufficiat.

De Pœnitentia. Cap. VIIII.



D dirimẽdam ad nos delatam per Synodi huius Patres quæstionem sacrorum Florentini, ac Tridentini Conciliorum auctoritate innisi idoneum, atq; legitimum confessarium nulla temporum habita distinctione eum declaramus sacerdotem, qui ordinariam, vt Parochus, aut delegatam, vt Regularis ab Episcopo facultatem habeat: Regulares verò huiusmodi generaliter approbatos Diœcesanorũ pœnitentium vsq; adeo proprios esse confessarios, vt per peccatorum absolutionem per eos, etiam Paschali tempore impertitam, ac irrequisito Parocho, eouè inuito satisfiat Lateranensis generalis Concilij præcepto: Affirmare autem repetendam, nullamq; fore confessionẽ eiusmodi contra Catholicam veritatem esse simul declaramus. Parochus autem Parochianos alienos pœnitentes, nisi proprij Parochi, aut superioris permissu absoluere nullo modo potest.

Ne Clericalis auaritiæ carpẽdæ sæcularibus hominibus occasio præbeatur, cuicunq; confessario, regulari etiam mãdamus, ne, si cui per pœnitentes aliqua pecuniæ summa sit restituenda, aut Missarum celebratione peccata expianda, sese ad id exequẽdum paratos offerant; quin potius id muneris pro viribus subterfugiant. Restituenda autem aliter non accipiant, quàm à creditore in schedula fidem de re accepta obtenturi: Quam deinde pœnitenti reddant.


Nonnullorum conscientiæ, quietiq; qui à nobis id petierunt, consulere volentes, suspensionis pœnam in calce cartulæ casuum nobis reseruatorũ positam in confessarios non vtentes forma ibidem expressa ad detrectantes tantùm, & eam addiscere negligentes extẽdi declaramus, ac volumus. In breuibus autem confessionibus, quas reconciliationes vulgus appellat, sufficiat, si verba saltem substantialia frequenti tamen populo adstante proferantur.

Dum quis communione reficiendus ad sacerdotis pedes nõ vlla quidẽ peccata, sed quędã exponit, quæ peccati rationẽ non habent, caueat ipse cõfessarius, ne ei sacramentalẽ absolutionẽ administret; quod effugere quisque confessarius debet, ne clauibus abutens sacrilegiũ fortè committat.

Ne confeſſiones laicorum audire vlli ſæcularium ſacerdotum in Eccleſia liceat, niſi cottam, ſtolamq; induto, ſub pœna ſuſpenſionis. Permiſsũ tamen ſit, ſi quando extra Eccleſiam alicuius infirmitas, aut neceſſitas id tulerit, pœnitentiæ ſacramentum in vulgari habitu miniſtrare.

Ex ſacrilegij criminis reſeruatione ſæpe propoſita nobis dubitatio fuit; an ſi clericus ſacro ordine initiatus cum quacunq; muliere etiam ſoluta miſceatur, ſacrilegium ita committat, vt à nemi ne quàm à nobis abſolui debeat: Quod ita eſſe, & ſæpè reſpondimus, & modo declaramus, atque decernimus.

Quod Prædeceſſoris conſtitutione ſancitum eſt, vt Regularium confeſſarij ſe ſe ab Epiſcopo, ſi placuerit, examinandos coram eodem quotannis exhibere debeãt Quadrageſimali tempore, nos ad ſæculares confeſſarios tantùm non tamen animarum curatores huius decreti.vi,ac lege reuocari ac pertinere volumus ſub pœna ſuſpenſionis à confeſſionibus audiendis; in quam tamen non ipſo iure quempiam incurrere intendimus.



De

De Sacramento Extremæ Vnctionis.
Cap. X.


NFIRMOS præsertim in extremo vitæ periculo constitutos Parochus sæpius inuisat. Oleo sancto Parochus aliquem inuncturus vasculum aquæ benedictæ, cum aspergillo, cruceq; aliqua sine hasta tamen, curet deferendum. Crux autem penès infirmum deinde relinquatur.

Pijs, dulcibusq; verbis Parochus infirmos, eos maximè, quibus aliquod imminere cernitur vitæ discrimen, soletur; in fide, spe, ac Dei Optimi Maximi caritate firmet; ac desiderium æternæ vitę in eo excitare pro virili contendat. In agone autem, & in extremis laborantem ne vllo pacto destituat.

Sicubi synodali constitutione Prædecessoris nostri inductum est, vt oleum infirmorum lumine accenso præuio deferatur, rem nos perpensius cõsiderantes, consuetudinem hanc, quousq; extẽditur iurisdictio nostra, tollendam sancimus, & latam de ipsa legem abrogamus: sæpius. n. fit vt qui vasculum vnctionis sic deferri vident, aut similitudine decepti tanquam Eucharistiã adorent

rent ſacrum oleum, aut honoris ac venerationis ergo genua flectentes humi ſeſe inclinent.

Olei infirmorum vaſculum laico cuiquam deferendum non tradatur, ne vè in laicorum ædibus apud ipſos relinquatur ſub graui pœna nobis reſeruata.

Id verò quo fuerit vnctio abſterſa in lance, aut vaſculo vllo in ædibus infirmi remanſuro reponi minimè licere edicimus, atq; omnino papyraceo inuolucro comburendo tegendum, & inuoluendum præcipimus: Cuius cineres ſacerdos, vt ad Eccleſiam peruenerit, vna cum digitorum ablutione iuxta formam ritualis facta in ſacrarium proijcere debet.

De Sacramento Ordinis. *Cap. X I.*



ER anni tempora, quibus nos ordinationes habere conſueuimus, Parochi non omittant feria quinta ordinationibus ipſis proximiore miſſam de Spiritu ſancto celebrare, ſupplicesq; Deo orationes offerre, vt dignos ſibi miniſtros ipſe eligat: Populum item ad idem faciendum hortetur.

Quoniam autem obſeruare non bene nouerũt Clericorum plerique ordinãdi quicquid ſacri Tri-

dentini Concilij, seu synodalibus Prædecessorũ nostrorum Constitutionibus continetur, quo fit vt sæpenumero vel ipsi litterati ab examinis limine reijciantur, propterea cuicumque ad ordinem quemlibet promouẽdo singillatim hæc præstãda proponimus: Quorũ si quis aliqua neglig̃ẽter omiserit, ad examẽ idoneitatis minimè admittatur, omni prorsus excusatione remota.

Prima igitur tonsura initiandus nobis, ac examinatoribus nostris fidem à Parocho suo factam, seu litteras testimoniales ab eodem Parocho scripras, ac subsignatas exponat, quibus bonum ipse testimonium habeat, atque ostendat.

Primo sese ex legitimo ortum matrimonio.

Secundo se probatis moribus, ac vita esse, nec Clericalem habitum verisimiliter induere velle ad sęculare forum euitandum.

Tertio Chrismate se vnctum, & confirmatum.

Quarto in Ecclesia aliquandiu, religiosèq; versatum esse, &

Quinto scholam Doctrinę Christianę frequẽtasse, atque in ea fidei saltem rudimenta didicisse.

Minores autem ordines suscepturus hæc, quæ subsequuntur, scripta, ac probata exhibere debebit.

Primo fidem de prima tonsura, aut de ordine proximè suscepto.

Secundo

Secundo duplicem fidem; à ludimagistro alteram de optimis moribus, ac vita; alteram verò à Parocho de eadem re, ac legitimis natalibus.

Tertio de suscepti iam ordinis functionibus à se præstitis inseruiendo Ecclesiæ, ad quam antea fuerat adscriptus, quæ fides ab Ecclesia cui inseruit Rectore, seu maiorem gradũ obtinente fiat.

Quarto exhibendum erit testimonium scriptum de hoc, quod nimirum ipse festis diebus ad scholam Doctrinæ Christianæ conuenire solitus sit discendi, aut docendi causà, ac de eo spes cõcipi possit, vt in Clericali habitu, ac vita sit permansurus, atq; ad maiores ordines ascensurus.

Quinto quatenus promouẽdus ad plures minores ordines promoueri cupiat, quod nostro erit arbitrio relinquendum, à Parocho, seu ab alio cuius Ecclesiæ inseruit scriptum exhibeat testimoniũ, vnde ostendat tali Ecclesiæ vtile fore, ac maximè commodum si omnibus, quos requirit, eadem die ordinibus initietur.

Ad maiores autem ordines assumendi, postquam nos adierint, per mensem ante ordinationum statutum diem hæc præstent omninò.

Primò de ordine proximè suscepto fidem ostendãt.

Secundo se in eo ordine functiones sæpius obijsse, sacramenta frequentasse, atq; ad ordinis susci-

piendi exercitium esse instructos Parochi testimonio demonstrent.

Tertio de factis per Parochum aliumuè à nobis electum in Ecclesia publicationibus testimoniũ ab eodem scriptum sigilloq; obsignatum afferant; quo, cum ex altari expositum suum ordinandorum desiderium fuerit populi astante frequẽtia; & eo die, qui Dominicus, aut alius festus fuerit, ac non sine diligenti perquisitione de suis ipsorum natalibus viuendi ratione, morumq; disciplina, nihil de se ipsis compertum esse ostendãt, quod clericalem vitam, ac institutum dedeceat.

Quarto approbatis notariorum scriptis, seu, vt vocant, Instrumentis alijsuè legitimis probationibus nobis notum faciãt se annuorum redditũ, aut census alicuius ex bonis siue Ecclesiasticis, siue alius generis tantum liberè, ac pacificè possidere, quantum ad victum, vitæq; substentationẽ sufficiat, quod declaratur ascendere debere ad summam saltem quingẽtorum aureorum: deq; eiusmodi redditibus, aut censu factas esse publicas in Ecclesia denuntiationes, cum expressione prædictorum ædium fundorum, seu rerum, bonorumuè aliorum; & quibus res ipsæ, vel bona circumscripta, ac definita teneantur, terminorum quorumcumq;, neq; fictionem vllã, aut

frau-

ſraudem fuiſſe deprehenſam. Quod in ſubdiaconatus potiſſimum ordinis ſuſceptione locum habere volumus.

Quicumq; verò ad ſacrum ordinem adſpirans, aut munera, aut litteras commendatitias nobis, noſtriſuè examinatoribus obtulerit, tanquam indignus ab ipſo expellatur examine, nec poſtea, niſi anno elapſo ad id ipſum admittatur.

Dimiſſorias litteras, ſiue teſtimoniales per Clericos alienæ Diœceſis, aut mancipatos religioni à ſuis ipſorum Epiſcopis, & ſuperioribus obtentas ad annum tantummodo illis ſuffragari ſancimus, ac volumus.

De Sacramento Matrimonij. Cap. XII.



Atrimonium intra menſem poſt denuntiationem vltimam non celebratum iterum denunciari mandamus, nec aliter volumus ipſum celebrari.

In denuntiationibus autem faciendis id volumus à Parochis obſeruandum; vt nimirum cognationum genera; carnalis videlicet, ſpiritualis, ac legalis, cum impedimentis inde prouenientibus populo ſæpius exponantur.

Nec ſi ſponſi ita cohabitauerint, aut adeò inter ſe

familiariter egerint, vt apud populum de ipsorũ illicita copula rationabilis sit suspicio, ac publicus rumor, matrimoniũ inter eos celebretur, nisi venia à nobis scripto per ipsos impetrata: Quos quidem condigna pœna plectemus. Parochi, qui contrafecerint, à nemine alio absoluantur, quàm à nobis ipsis. Sępius autem populo inculcent sponsalia per copulã huiusmodi in matrimonium non transire; sponsam verò fornicariam potius esse mulierem, quam vxorẽ: Ideoq; in eos, tanquam concubinarios procedẽdum, atq; interim ipsos ab Ecclesiæ ingressu fore arcendos.

Ne differant Parochi nos certiores facere, si qui forte coniugatorum vetus diuortium licet non dictis, factis tamen comprobanres à se inuicẽ seiũcti degant, aut in publico quis persistat concubinatu: eos interim admonitione tamen præuia prohibeant à Domo Dei, quàm decet sanctitudo in longitudine dierum.

Nullus sponsorum ad matrimonium celebrãdum admittatur, qui orationem Dominicã, Symbolum Apostolorũ, ac Decalogi præcepta recitare non sciant; nisi licentia à nobis petita; quam nos haud quaquam, nisi graui de causa sumus cõcessuri: fit.n. plerumq;, vt rudes, ignariq; parentes

rudem suscipiant, alantq; prolem diuinæ voluntatis, ac legis si minus contemptricem, eiusdem certe insciam, & maxime expertem.

Cum die aliquo festo nuptiæ sunt benedicendę, Parochialis Missa ad quam frequentior populus concurrit, nullatenus de sponsis, sed de ipso festo, seu, vt res feret, de Dominica celebretur.

Orationes tamē collectæ nūcupatæ, nec nō benedictiones ad spōsos ptinētes suis locis interserātur.

Cum sacrorum Canonum iure secundæ nuptiæ benedicendæ non sint, dubitatum sæpe fuit, quid si alter tantummodo sit benedictus? Quod nos paucis definientes ac breui comprehendētes, sic statuimus, & mandamus locorum scilicet vsu receptam cōsuetudinem seruari. Quæ si aliqua in Ecclesia minus appareat, aut nequeat internosci, eo quia nuptiæ Parochorum arbitrio diuersimodè adhuc fuere benedictæ, hæc perpetuo ibi præcipimus obseruari: vt si eorum alter tantùm sit benedictus (siue sponsus ille sit, siue sponsa) in alium ita transmittat benedictionē, ipsamq; adeò inter se ambo communicent, vt noua non sit opus: omnino autem consuetudinem illam abolemus, qua inductum est, vt alter sponsorum benedicatur, altero, qui prius benedictus fuerit, reiecto.

Verum ne fortè de earum nuptiarum validitate vsquã dubitari contingat, quæ per Parochi coadiutorem tacita licentia, aut per Economũ Ecclesiá vacante celebratæ sunt, cum sacra Tridentina synodus eas inualidas sanciat, atq; irritet, quæ à quocunque sacerdote sine Parochi licẽtia celebratæ sint, id nos statuimus, atq; decernimus, licentiam huiusmodi in facultate, & approbatione eidem coadiutori, seu Economo facta ad animarum curam exercendam, ac sacramenta ministranda comprehensam intelligi, prout nunc particulariter, ac expresè comprehendimus. Caueant tamen Coadiutores atque Economi quicunque Parocho inscio absente, aut defuncto ne facultatem matrimonij celebrandi alijs sacerdotibus nobis inconsultis impertiant, donec secus à Sede Apostolica fuerit definitum.


De Ieiunio. Cap. XIII.



VOD veteri Synodali constitutione statutum est omnes à lege Ieiunij iure exẽptos ante fractum ieiunium teneri ad vtriusque medici requirendum consilium, volumus ad eos tantùm pertinere infirmos, quorum non adeò manifesta est, aut periculosa ęgritudo,

vt ieiunij immunitate gaudere poſſint abſq; eo-rum ſcandalo. Meminiſſe autem omnes debēt quotquot à ieiunij præcepto excipiuntur, ſe à ciborum tantummodo quantitatis ratione, non autem qualitatis liberos eſſe præterquã infirma, notaq; valetudine, ac neceſſitate vrgente: Quicunq; .n. ob ætatem, labores, atq; huiuſmodi cętera à cœna non poteſt abſtinere, à carne ſaltem quolibet ieiunij die, ac præterea ab ouis, lacticinijsq; quadrageſimalibus diebus abſtineat: vbi tamen conſuetudine receptum eſt, vt cæteris etiam diebus tum oua, tum lacticinia intermittantur, eam profecto conſuetudinem ſeruandã ſtatuimus.

De Ecclesijs, Oratorijs, ac Cæmeterijs.
Cap. XIIII.



T ſi Deus Optimus Maximus omnium ipſe hominum pater, cunctarum rerum ſummus ipſe Moderator, ac totius orbis Rector, & Dominus nulla definita regione incluſus, nulla loci ratione comprehenſus, nullis aut ſeptus terminis, aut finibus circunſcriptus vbiq; eſt gentium, vbique locorum viget; maxime tamen locorum omnium in templis, & Ec-

cleſijs ſancto ipſius numini dicatis eum venerari licet: Quippe in ſacris huiuſmodi locis homines in eum magis excitantur pietate, ac religione, & in his ipſe viuum hominibus gratiarum ſuarum fontem ſæpius aperire ſolet. Quare nullis huc alijs actionibus nullius generis rebus aditus patere debet, quæ non ſanctitatem præſe ferant, ac præſtent; & ea omnia hinc penitus arcẽda ſunt, quæ profanum aliquid ſapiant, ac redoleant.

Præcipimus igitur, atq; cauendum ſancimus, ne in templis, & Eccleſijs Deo dicatis; Oratorjis itẽ, ac Cœmeterijs, eorũq; plateis, atrijs, aut porticibus quicquam profani conſeruandũ reponatur, neue fruges, herbæuè ſiccandæ, aut lintea, mappæ, veſtes, aliauè id genus extendantur.

Quod ſi qua huiuſmodi in talibus locis reperiãtur per Eccleſiæ illius, aut Oratorij titularem adminiſtratorem, aut cuſtodem etiam laicum tanquam pauperibus quæſita diſtribuantur.

In vnaquaque Eccleſia vbi quadrageſimali, alioue tempore prædicationes haberi ſolent, ex ſuggeſto, ſeu, vt vocant, pergamo, durante ſaltem verbi Dei prædicatione tela aliqua tranſuerſa Eccleſiam intermedians ducatur, qua mulierum adſpectu viri prohibeantur.

Vbi

Vbi destructæ, aut collapsæ sunt Ecclesiæ crux aliqua conspicuæ altitudinis, & magnitudinis, si nondum ibi erecta sit, statim per eos, ad quos pertinet, erigatur, nec vllo vnquam tempore dictæ Ecclesiæ ad sordidum vsum conuertantur.

In medijs Cœmeterijs crux omnino sit erigenda, cuius ea sit altitudo, quę à parietibus, proximisq; ædificijs eminens possit cominus, & eminus quoad æquum sit, apparere: Nec ipsa crux à terra minori consurgat altitudine, ac mensura, quã statura hominis in duplum producta.

Quocumque tempore, aut occasione res exponentur venales ad Ecclesiarum fores, aut muros, uel ijs ipsis ad brachia viginti proximę, Ecclesijs ipsis sint quæsitæ.

Ne in Ecclesiarũ porticibus, aut Plateis choreæ ducantur, aut saltatones fiant: Quin ab Ecclesijs ipsis, alijsq; sacris locis diuino cultui, aut alij sacro vsui dicatis, huiusmodi ꝓfana, ac potius diabolica spectacula ad brachia quadraginta arceãtur, sub pęna vigintiquinq; aureorũ eisdẽ, alijsuè arbitrio nostro locis pijs applicandorum, atq; excommunicationis in subsidium: Cui præscriptę pœnæ obnoxij intelligantur qui spectaculis huiusmodi faciendis prefuerint, fidicinum, cytharistarum, tympanistarum, seu tibicinum, aut alio-

rum

rum id genus hominum operam conducentes, Ecclesiarũ item Rectores, qui ad Ecclesias suas, vt cautum est, talia exerceri patientur.

Ne transeuntes per Ecclesias diuina interturbent officia, nullum ostium, vel paruulum, quo per Ecclesiam transeundi commoditas præbeatur permitti volumus. Si quod verò iam sit, muro parieti æquato obstruatur.

Super ostijs etiam Ecclesiarum, quæ cum animarũ curatione sunt, effigies eorum sanctorum, quibus dicatæ sunt; aut pingatur, aut sculpta collocetur intra anni spatium.


Ecclesiæ atq; oratoria quæque, campestria præsertim, clauis officio clausa custodiantur omnino: Quæ clauis, si commodè fieri potest, penes loci Parochum semper sit: sin minus apud Parochianum aliquem pium virum ab eodem Parocho eligendum custodiatur; ne in eas bestijs fortè, aut hominibus sordidis à bestijs minimum discrepantibus ingressus liberè pateat.

Sin autem aliquis (quod Deus prohibeat) eo deuenerit impudentiæ, ac sceleris, vt Deo dicatum locum carnis illecebris violare ausus fuerit, vltra pœnas alias sacrilegijs huiusmodi hominibus iure præscriptas, quid nam de fide sentiat, interrogetur; & si opus fuerit, ad sacrum Inquisitionis

officium transmittatur; Alioquin si laicus erit, vinctus manibus, pedibusq; ad limina Ecclesiæ, aut oratorij eiusdem per totum diem festiuum custodiatur: sin verò clericus fuerit, beneficijs, si qua possidet priuatus triremibus perpetuo addictus tradatur.

De Sacristia, ac potioribus eius, Ecclesiæq; suppellectilibus.

Cap. XV.



Acristia loco ne sit vliginoso, subterraneo, aut vlli madori, seu humidati obnoxio: vbi vero ob Ecclesiæ, populiq; inopiam construi non potest, spatium aliquod inter altare maius, ac parietem Ecclesiæ posteriorem pro sacristia relinquatur.

In ipsa autem sacristia extruatur aquariolum, seu labellum, cui situla superaddatur ad manus abluẽdas, & mãtile aliquod album ad easdem abstergendas.

Nec in ea desiderari feratur sacramentum decens, & claue obsignatum.

Neq; desit locus, seu oratoriũ, pro sacerdotis genuflexione ex ligno constructũ; ad quod appendatur tabella, seu cartula orationum, quæ præ oculis sit sacerdotis genuflectentis, & orantis.

Scamnum

Scamnum præterea adſit, ſuper quod ſacerdoti ſacrum facturo ſacra præparentur ex ordine indumenta; poſita ibidem cruce aliqua decora, aut ſaltem ſancti alicuius decora item imagine.

Qualem etiam volumus eſſe altaris iconem quam pingendam ſancimus fore ſuper telam, aut aſſeribus, tabuliſuè: in pariete enim pingi de cętero prohibemus: latitudine autem ad vtraque pertingat altaris cornua; altitudine multo maiore exiſtente.

Menſa vero altaris cuiuſcunq; alta ſit à ſcabello cubitis duobus, totidemq; lata: longitudine cubitorum quatuor ſit, & digitorum octo. Decet tamen altaris maioris multo eſſe menſam longiorem, ac latiorem; ſed Eccleſię chorią; amplitudini reſpondentem.

Præſcriptæ huic menſæ longitudini, ac latitudini reſpondeat ſcabellum pedibus ſubſtratum: Altitudine verò ſit ad ſummum digitorum octo, ad minus ſex.

Si quis autem viſitatoris noſtri partes agens altare aliquod minus ſit dimenſurus; atque in hoc agẽdo breuitati ſtudere velit, ſuo ipſius corpore ita pro dimenſione vtatur, vt zonæ, ſeu cinguli ſuper femora locus altitudinem præfiniat; brachia vtraque omnino expanſa longitudinem demõſtrent;

ſtrent; ac dextero extenſo iconem verſus brachio, latitudo præſcripta appareat.

Lapis vero ſacer altaris portatilis longitudine ſit vnius cubiti, aut paulo minore, quæ latitudo digitis tantùm quatuor ſuperetur.

Decora ſit Crux, decoraq; ſint candelabra, tum ipſa materia, tum artificis operę: nempè ex argento, aut oricalco, vel ſaltem picto, auratoque ligno pro Eccleſię ipſius facultate, nullatenus autem ex ferro.

Mappæ inferiores totam altaris menſam longitudine, ac latitudine aſſequantur, ſuperior verò ad pauimentum vſque longitudine vtrinque pertingat, ac latitudine totam ipſam menſam contegat, atque à fronte aliquantum pendeat.

Tela ſtragula cęrulei viridiſue coloris aliquantulum ab altaris menſa diſtans vndequaque pendeat.

Tabernaculum ea magnitudine formaq; cōſtruendum eſt, qua Eccleſiæ decori, atque amplitudini reſpondeat: omnino autem exterius inaurandum eſt totum, vel ſaltem pro Eccleſiæ tenuitate decore pingendum collocata ſuper eo CHRISTI reſurgentis imagine, aut parua Cruce inaurata. Ac ſi vſque adeò anguſta ſit altaris menſa, vt Cruci maiori debitus locus non ſuperſit,

Crux

Crux ipsa maior super tabernaculi parte suprema statuatur. Interius autem tabernaculum pano serico rubei coloris vndique muniatur, corporali super imam partem extenso. Cuius ostiolum satis tutum sit ac bene clausum auratę clauis officio: clauique ipsi sericus appensus sit funiculus cum flocculo aureis filis contexto.

Conopeo serico tabernaculum ipsum tegatur; ac super eo vraniscus etiam decenter ex facultate Ecclesiæ elaboratus pendeat; qui amplitudine totam altaris mensam, ipsumque contegat celebrantem.

Minora etiam altaria huiusmodi vranisco superposito tegantur; dum tamen proximum non habeant fornicem.

Pyxides duæ saltem in qualibet curata Ecclesia ad vsum sanctissimæ Eucharistiæ totæ ex argento intus, forisq; perpolitæ, atque inauratæ habeantur. Quod si per Ecclesiæ paupertatem, aut aliam ob causam totæ non possint fieri argenteę scyphus ipse saltem argenteus sit, conuexus, seu rotundus, ac pedi firmiter inhęrens; in cuius operculi summa parte Crux paruula emineat. Tegantur autem huiusmodi pyxides conopeolo serico aureis contextis additamentis referto: harumque minor ad vsum deferendę ad infirmos

mos ſanctiſſimæ Euchariſtiæ deſtinata ſit; altera verò maior ad vſum generalis communionis: Quamobrem hanc tot particularum capacem eſſe decet, quot in parocha ſunt animæ communione reficiendæ.

Nulla in poſterum vaſcula pro ſanctiſſima Euchariſtia conſeruanda ſine pede, depreſſaque forma comparentur: ſi quæ verò ſunt ad tempus tolleranda, velo interim ſerico ſunt contegenda.

Sacculus ſericus, ſeu burſa, qua defertur incluſa, colloque ſacerdotis appenſa pyxis ad ęgrotantes procul ab Eccleſia extra vrbē, vel oppida incolentes ex ſerico albi coloris ſit intus, foriſque ad imum contracta, atque in roſæ ſpeciem rotunda, atque corrugata.

Tabernaculum geſtatorium pro proceſſionibus ex argento aut ex ære aurato ſit, forma decora, atque decenti magnitudine conſpicuum; cuius lunula nitidiſſimo cryſtallo, aut vitro tecta ſit; eoque artificio compoſita, vt aperiri, ac intus abſtergi commodè poſſit. Eius autem operculo pyramidali Crux parua ſit ſuperpoſita.

Cyathus, quo Purificationis vinum communione refectis præbetur ex cryſtallo ſit lucido magnitudine congrua, ac forma à communium cyathorum figura, quoad fieri poteſt longe, diuerſa: Is

verò

verò in sacristia perpetuus custodiatur, ne quæ ad alienum transferatur vsum.

Lampadarium, vt appellant, ex oricalco sit, figura non obsoleta, quæ in parte superiori potens ac lata sit; inferiori vero contracta inserto ad imũ annulo, flocculoque appenso. Pendeat autem lampadarium, e regione altaris in medio, atque adeo ab ipso altari distans, vt ob nimiam vicinitatem super vestes sacerdotis, aut inseruientium non stillet.

Laternarum id genus nullatenus in vsu sit, quod manu pendens geritur; sed omnino quod baculo insertum altius gestatur.

Vmbella, quæ pro vranisco, seu baldachino inseruit, dum longius ad infirmos sanctissima Eucharistia defertur, ex corio sit rubei potissimum coloris, intus verò serico cęruleo munita, atque filaminibus sericis, seu, vt vulgo nuncupantur frangijs ad extremum limbum circum ornata, super ipsam autem vmbellam Crux parua sit posita, quæ inaurata sit: Amplitudine vero vsitatam formam excedat, & baculo inferiori recuruo, insertoq; sit sustentanda, quo commodius super caput sacerdotis protendatur.

Calix decoræ sit magnitudinis, & formæ scyphum saltem ipsum habens argenteum, ac totus auro

sit

sit obductus, rubigine, sordibusuè minime infectus, aut maculatus; ac demum omnino integer, pediq; firmissime cohęrens.

Patena ex argento aurato existens circulum nō habeat, aut quid aliud vsque adeo artificiosè sculptum, aut elaboratum, vt in eo fragmenta facile abscondattur; eius vero labrū, seu circunferētia, ita sit plana, lenis, tenuisq; vt fragmenta ex corporali colligi commodè possint.

Corporale autem amplitudine sua pateat ex omni parte digitos saltem quatuor supra cubitū; & ex tela sit subtilissima, ac densioris, planęq; texturę.

Purificatoriū ex noua tela non tamē nimis subtili; ac tenui confectum sit, amplitudine in quadrū sexdecim digitorum, paruamq; crucem habeat in medio, aut pictam ex albo filo.

Fons Baptismalis ex marmore, solidouè lapide sit, vsitata, circulariq; figura: Idemq; aut medius sit ita diuisus, vt altera eius parte aqua baptismalis codatur, ex altera vero aqua ipsa super infantis caput infusa per columnam perforatam subterlabatur, aut in fontis ipsius medio aliud vasculū lapideum erigatur, atq; emineat, in quo aqua eadem conseruetur, quæ in maiorem fontem dum sacramentum ipsum administratur decidens per eiusdem labatur columnam.

Ciborium ex eodem lapide, lignouè pulchro confectum super labro circulari maioris vasis nitatur, ac pyramidis instar in præacutum paulatim desinens conopeo ex serico, vel subserico, aut saltem ex tela nobiliori contegatur, atq; super eius suprema cuspide crux aliqua parua collocetur, aut Diui Io. Baptistæ, qui quasi baptizans poculum dextera manuteneat, imago; dum tamen in pariete expressa nesit; quod & magis conueniés esse visum fuit.

Sit præterea ciborium in anteriori parte à summo vsque ad imum claue aperiẽdum latiore valua, atque in eius medio tabula aliqua tranuersa firmiter configenda, super qua oleorum, ac salis vascula reponantur, ac conseruentur ad baptizandorum vsum cum cocleari argenteo quod manubrium ad extremum aduncum habeat: Vascula vero ipsa ex argento sint aut stamno pro Ecclesiæ facultate; quorum formam eam potissimum commendamus, quæ tribus vna iunctis vasculis triangularem figuram habet operculo vno supertecta in quorum vasculorum vno his literis signato C H R. sacrum chrisma; In altero vero his notis C A T. oleum Cathecumenorũ; In tertio demum sal exorcizatum seruetur: Ita tamen, vt in salis vasculo aliud vasculum vitreũ insera-

inſeratur; vt ſal ipſum ſæpius commodiusq; renouari valeat.

Decet vero vaſcula prædicta in capſella, quę cutula ſeu italicè ſcatola appellatur eiuſdem triangularis formæ, ac corio exterius veſtita, aureiſq; ſignis aliquibus impreſſa cuſtodiri, ac reponi.

Vaſculum autem vnctionis extremæ ab alijs ſeparatum his caracteribus notatum O. Inf. rotundę figurę, corioq; veſtitum eſſe conuenit, ſacculoq; ſerico violacei coloris ad imum rotundo, & con criſpato condendum, vt cum longius iter ſit, collo appendatur, ac denique cuſtodiendum in feneſtella paulo infra dicenda.

Fons autem ipſe Baptiſmalis vtſupra formatus, atq; munitus in Eccleſiæ ima, dexteraq; parte, hoc eſt ad ingredientis ſiniſtram collocandus eſt in aliqua parua Diui Ioan. Baptiſtæ capella cancellis concluſa, aut in Eccleſiæ ipſius angulo, parietibus tamen non adeò proximo, vt à ſacerdote nequeat vndique commodè circum eundo tractari: Ac ſit demum ex omni latere marmoreis, ligneiſuè decoris columellis oſtiolo ſera munito concludendis ſępiendus, atq; cingendus: Intra cuius ſæpta ſacrarium decens fodiendum, atq; extruendum, ligneoq; operculo, aut valua claue tuta claudendum.

In ſtipite vero, mēſaue altaris aquam Baptiſmalem conſeruari de cętero ſub ſuſpenſionis pœna interdicimus.

Confeſſionale in corpore Eccleſiæ parieti columnæue innixum adeò patenti loco collocetur, vt tum pœnitens, tum confeſſarius ab omnibus, aut pleriſque in Eccleſia exiſtentibus proſpici valeat: Id autem ea ſit altitudine, vt dum confeſſarius ſeſſurus ipſum ingreditur, caput inclinare non cogatur latitudine hac, quæ ad commodè ſedendum ſufficiat: Huiuſmodi demum ſit vt pęnitens genuflexus tabernaculo, ſeu altari maiori terga non vertat. Huius confeſſionalis ſcabellum pro pœnitentis genuflexione ita cōpoſitum ſit, vt pœnitens, & genibus, & brachijs ſuper eo innitatur.

Craticulam etiam confeſſionale habeat ex lamine ferreo non confusè, aut fortuito, ſed certo ordine perforatam; quæ pœnitentis ori, auribusque ſacerdotis ſit commoda: ſuper cuius ſumma parte exteriori crucifixi imago ſit collocata. In interiori vero confeſſionalis parte hincinde ad laterales tabulas affixa ſit Bulla in Cęna Domini recentioris pro tempore Pontificis, caſuumq; folium, quos ſibi Epiſcopus reſeruarit.

Feneſtellæ duæ conformes pro vſu reliquiarum, ac

olei infirmorũ, vbi alius ipſis magis decorus locus in Sacriſtia, chorouè nullus conſtitutus exiſtat, in parietibus hinc inde recta reſpicientibus altaris cornua honeſtè pro ſacrarum huiuſmodi rerũ dignitate extruantur, alto loco; atq; à pauimẽto cubitis quatuor diſtantes: intus tabulis coloratis, aut panno ſerico tectis ſępiãtur, valua, claueque muniantur. Atque in ipſarũ altera quę ſcilicet ad dexteram eſt, Sanctorum reliquiæ; in altera verò infirmorũ oleũ cuſtodięndũ reponatur. Reliquiæ vero omnes pretioſis loculis, vaſisque includantur; minutiores autem pannulo ſerico obuoluãtur eius potiſſimùm coloris, qui ſancto conueniat cuius ipſæ ſunt; atque intus eiuſdem ſancti nomen ſuper cartula inſcribatur, forisq; nomẽ idem in altera cartula pergamena expreſſum conſuatur.

Si quæ verò reliquiæ ob temporum vetuſtatẽ ignotæ, atque confusè inter ſe minime poſſunt ſecerni, atque internoſci, ſimul omnes inuoluantur; vt de alijs ſupra diximus cum huiuſmodi nota. *Reliquiæ Sanctorum, quorum nomina ignorantur.* Ac demum in feneſtellæ ſeu armarij frontẽ, vbi reliquiæ poſitæ ſunt, ac reconditæ talis inſcribatur, aut potius inſculpatur titulus. *Reliquiarum locus.*

De diuinorum Officiorum celebratione, & de commorando in Ecclesia. Cap. XVI.



IN Ecclesijs, in quibus quandoque ad minora altaria missa maior canitur ex alicuius deuotione, aut ratione festiuitatis ibidem celebrandæ, altare maius interim luminibus, seu candelis accensis orbatum non relinquatur, sed super eo duo saltem ardeant cerei.

Ne quæ sunt super Ecclesiarum sacris turribus campanæ diuinorum officiorum, funerumuè dãtes significationem cuiusque rogatu atq; arbitrio pulsentur, sed de licentia Parochi, aut sacristæ, aut alio nomine præfecti. Qui contra hæc fecerit, nec monitus resipuerit, tanquam diuinarũ, sacrarumque rerum perturbator acrioribus subijciatur pœnis.

Quicumque vero campanas eiusmodi sacris, diuinisq; rebus dicatas pulsare in posterum ausus fuerit, aut pulsari mandarit ad hominum occisionem, vltimumq; supplicium significandum à fidelium communione excommunicationis gladio arceatur.

Excommunicationis pœnam veteri constitutione ijs præscriptam qui propius ad altaria in quibus

bus fit ſacrum ad brachia ſex accedunt, nos tollimus, atque abolemus æquius futuram cenſentes, ſi id Parochi, ac cæterorum ſacerdotum prudentia, ac vigilantia tractandum relinquatur.

Mulieres nonnullæ prædeceſſorum decreta aut potius D. Pauli monita contemnẽtes in ipſis D. O. Max. ædibus, aut nullo caput velo obducũt, aut capite ſic velato ſe ſpectandas exhibent, vt ad ornatum potius velo ipſo vtantur; eo ſcilicet non paruo ſtudio ſuper capitis vertice comptiſque capillis compoſito, ac inde poſt terga reiecto: Quædam vero his longè nequiores proprijq; pudoris oblitæ collum, pectoriſq; non exiguã partem nudam, quaſi venalem exponentes, atq; oſtentantes, Angelorum, Deiq; ipſius conſpectum minime verentur. Propterea mandamus illas per Parochos, cæteroſuè quibus Eccleſiæ cuſtodia commiſſa eſt, tum de altari generaliter, tum priuatim paterna caritate ſemel, & iterum commoneri. Tenaciter vero inobedientibus Eccleſiæ ingreſſum prohiberi.

Ex nobiliorum locorum prærogatiuis, quæ in Eccleſijs quæri à non paucis ſolent, exortas iam ſæpenumero contentiones ſedare, futurarumq; litium occaſionem tollere cupiẽtes præcipimus, vt ſedilia omnia laicalia tam virorũ quàm mu-

lierum ab Ecclesia quacunq; intra sex menses à synodi huius celebratione remoueantur, exceptis tamen sedibus dominorum temporalium, ac loci magistratuum, cæterisq; communibus sedibus Ecclesiam minimè impedientibus. Si quis autem sedile aliquod vnius tantum personæ capax in Ecclesiam inferre voluerit ratione diuini officij audiendi, aut prædicationum, ijs ipsis peractis illud amoueat omnino, nullum ius in posterum super eundem locum, nec ex longissimi temporis vsu habiturus, sed loca omnia, tãquam omnibus semper communia, cuicunq; primum accessuro parata existant, ac singula singulorum fiant occupantium. Parochi qui prædicta pro viribus exequi detrectauerint, pœna aureorum vigintiquinque, laici vero excommunicationis gladio plectantur.


Quò multorum Dei Ecclesiam frequentantium pietati satisfiat, Parochi, qui vesperas festis diebus in Parochiali canere ob Clericorum fortè inopiam nequeũt, eas tamen alta voce recitare non omittant.

Officium recitandum de Sanctis Tutelaribus iuxta rationem Calendarij nostra, synodiq; huius auctoritate edendi, quibus scilicet datum est Episcopatui Lunensis, Sarzanensis quondã præesse,

ab

ab omnibus vbiq; duplex celebretur; idemq; de illis sanctis à Clero Ecclesiæ cuicumque obseruetur, quorum reliquiæ aliquæ insigniores conseruantur in ipsa Ecclesia, aut sub quorum titulo, & appellatione in Ecclesia altaria erecta, atq; dotata reperiuntur.

Quod verò Synodali constitutione expositum est pœnam esse Lateranensis Concilij, vt quicumq; diuino officio mancipatus illud per sex menses non recitauerit, eo tempore fructus suos non faciat, id nos ad eiusdem Concilij ac Felicis Recordationis Pij Quinti mentem & verba reducentes, sic intelligendum declaramus, vt semestri durante post beneficij Ecclesiastici impetrationem, nec tamen eo nomine officio recitato, quis ad restitutionem fructuum minimè teneatur, sed post ipsum semestre tantùm pro rata scilicet intermissionis cuiusque diei, & horæ: Et hæc de restitutione tantummodo, non autem de peccato omissionis.



De Ca-

De Canonicis, alijsq; Choro addictis.
Cap. X V I I.


Vicunque Choro addictus officij partem notabilem intermiserit, tacendo, ridendo, cum alio colloquendo, aliud legendo, dormiendo, aut si vna cum alijs non recitauerit, uel cecinerit iuxta dierum, horarumq; rationem, aut si superpelliceum indutus non fuerit, aut si galerum, non autem clericale pileum cum superpelliceo gestauerit, pro absente habeatur, atque de more puncto notetur.

Si quis autem in Choro Ecclesiæ cuiusque, præsertim uerò Cathedralis nostræ non nouerit quanta decet reuerentia permanere, aut, dum res feret, assurgere, caputq; detegere, primùm per Archidiaconum, aut alio nomine præfectum corripiatur; deinde verò ad nos puniendus deferatur: Qui autem in hoc munere exequendo in Cathedrali negligenter se gesserit, pœna aurei, quotiescunq; defuerit, puniatur.

Erecta iam tandem à nobis Deo fauente, post tot curricula temporum Theologali præbenda in Cathedrali nostra, ac decreto præterea addito, quòd alia præbenda primo vacatura in pœnitē-

tiariam

tiariam instituatur ad sacri Tridentini Concilij præscriptam normam, restat nunc, vt in Episcopatus nostri ferè limine congruam portionem, quæ sperni verisimiliter non debeat à singularũ prębendarum fructibus detrahentes, veteriq; cumulo addẽtes pro quotidianis distributionibus assignemus, ac constituamus. Quocirca habita per nos matura super hoc consideratione de Canonicorum nostrorum assensu, statuimus, decernimusq; eam portionem per Canonicos quoscunq; præbendarum suarum fructibus cõtribui debere in singulos annos, quæ veteri distributionum summę addita ad pretium pro quolibet decem, & octo aureorum ascẽdat, seruata in reliquis punctorum ratione. Volumus autẽ nouis officialibus ad Augusti proximi Calẽdas in ipsa Cathedrali nostra creatis eodem tempore decretum hoc ad distributiones, punctationesq; pertinens ligare incipere, effectumq; sortiri suum. Canonicorum tamen personalem residentiã iuxta Sacri Tridentini Concilij præscriptam rationẽ ad nouem mẽsium seruitium reducimus, adeò, vt quicunq; vltra tres menses continuos, aut interpellatos absfuerit, dimidiam totius anni fructuum portionem amittat, quos tam rationę præbendæ, quàm distributionum suos efficit; consue-

consuetudine contraria nulla obstante.

In Choro autem ad Matutinas laudes, precesq;, seu horā matutinā conuenisse sufficiat ante cōpletū Psal. Venite exultemus, in officio maiori; etiam si officium de Beata Virgine ante recitetur; contraria consuetudine vlla minime obstante.

Episcopo in Ciuitate Pōtificalia exercēti Canonici omnes assistant: Inobedientes verò pœna coërceantur Iuliorum quinque pro qualibet vice.

Ad dirimēdas aūt, quæ sępius oriri solēt, cōtentiones circa fructuū præbēdæ vacātis acquisitionē, seu diuisionem de cōsilio, atq; Canonicorū nostrorū assēsu statuimus fructus huiusmodi quoscūq; Capitulo acquiri, excepta tantūmodo portione correspōdente tēpori, quo is, cui nuper ꝓuisum fuerit, Ecclesiæ seruiēdo personaliter interfuerit; quā eidē acquiri volumus, & mādamus.

Quāquam multa his nostris, veteribusq; Cōstitutionibus ad Canonicos Cathedralis nostræ, eorumq; Capitulum spectātia statuta, ac definita sunt, per hoc tamē capitularibus eorum statutis, Priuilegijs, ac rationabilibus cōsuetudinibus nolumus vllo vnquam tempore derogatum iri; aut aliquo nomine præiudicium inferri, de quibus tamē expressa mētio habita nō sit; aut ijs ipsis particularibus non sit derogatum.

Qui-

Quicumq; Clericus sacro præsertim ordine initiatus in ciuitate existés,atq; in ea domicilium habés diebus Dominicis,aut festis de præcepto ad Cathedralem Ecclesiam in qua missa maior,aut Vesperæ decãtantur; nõ accesserit,alios canẽdo coadiuturus, si aderit Episcopus tribus Iulijs eo vero absente vno Iulio persoluẽdo multetur pro cuiusq; diei intermissione. Extra ciuitatem verò quicumq; ad Parochialem, aut maioré Ecclesiã similiter nõ cõuenerit dimidio Iulio puniatur; silẽte suspẽsionis pœna veterũ constitutionum.

De Vita,ac moribus Clericorum. Cap. XVIII.



CVM videamus Clericorum nõnullos Clericalis honestatis oblitos non modo ab optimis moribus longè refugere, sed etiã barbarorum ipsorum mores, ne dum sæculariũ christianorũ sequi,ideò hæc obseruãdas sãcim⁹.
Primo igitur,quoniam aliqui reliquum barbę abradentes pilos tantum labri superioris vtrinque lõgius protractos, sursumq; reflexos gestare gaudẽt, contra verò clericalis habitus à secularibus iam iam vsque adeò vsurpatus fuit vt pileo quadrãgulari excepto,clericus à laico difficile valeat internosci,quo maiore possumus affectus paterni

ni feruore omnes hortamur, atq; obnixius in virtute sanctæ obedientiæ Clericis quibuscunq; præcipientes edicimus, ne longiores pilos, quos mostacios vulgus appeliat, deferre audeant in omnium scandalum; verum pilos ipsos cæteris ita adæquent, vt ne vnguē quidem transuersum resultent; barbamq; habeant, aut prorsus abrasam, aut æqualiter vndique longam: si cui autē ad mentum aliquantò longiorem barbam gerere placet, ad genas tamen eam non adeò iuxta cutem radat, vt mulier quædam barbata videatur, visu quidem maximè indecorum, atq; reprę hendendum. Omninò autem superius labrum pro sumptione sanguinis Domini â pilis sit penitus expeditum, ac liberum.

Quadrangulare, seu Clericale pileum Clerici quicunq; induant, nec se IESV CHRISTI ministros palam profiteri erubescant, id fugientes; pluuioso tamen tempore, aut cum iter longius faciendum est, seu tuendæ valetudinis notoria causa galero vti cuicumq; liceat; non tamen ei, qui super pelliceum, aut aliam vestem sacrā sit indutus: Indignum .n. est galeratum hominem sacra tractantem conspici. Qui contra hæc fecerit, in Synodo hac nostra coram, aut vi huius Decreti monitus, primū vnius auri multationē

subibit;

ſubibit; poſtea verò arbitrio noſtro punietur. nec tamen ad nos antequã errata emendauerit quacumq; ratione acceſſurus audiatur, aut introducatur.

Frigorũ tẽpore manicę genus pelliceę nigri coloris apud clericos ꝑ manibus tuẽdis in vſu eſſe permittimus: Si quis aũt chirothecis vti malit, tẽpore tamen, quo eſt ſuperpelliceo, aut ſacra alia veſte indutus, eas deponere meminerit, ne fortè in cilicio delicias quærere videatur.

Clerici, vel ſemel blaſphemiæ peccatum committẽtes; nocturnis horis cum ſecularibus incedentes armati; aut cantilenis, ſcurrilibusq́; operã dantes â nemine, quàm à nobis abſoluantur, prout de perſonatis, & choreas ducentibus aliàs à nobis ſtatutum fuit.

Non modo aũt quicumq; proximè præfata perpetrauerit, ſed etiam, qui eò impudẽtiæ deuenerit, vt quouis loco, tempore, & habitu, aut choreas ducere, aut ducẽtibus inſtrumẽtum muſicũ pulſare, aut perſonatus, ſeu cũ perſonatis incedere audeat, aureis nummis vigintiquinq;, aliaq; grauiori pœna pro perſonæ qualitate puniatur.

Si quis item publica tripudia circulatorum, mimorumq́;, aut Comicorum actiones ſpectatum ierit, duobus aureis multa afficiatur.

Cle-

Clericorũ quicũq; prima etiam tonsura tantũmodo initiatus clericalem gerens habitum monitis nostris, ac edictalibus litteris pariter cõtemptis tesseris, aleisue luserit, vt vulgo dicitur à carte & dadi, pœna aureorum nũmorũ vigintiquinque, nulla alia monitione pręmissa primò multetur, deinde verò, ac præterea eadẽ soluta pęna, in carcerẽ trudatur, ibiq; custodiatur, alijsq; pęnis pro modo culpæ corrigatur, vsque ad officij, & beneficij suspensionẽ, abrogata interim excõmunicationis aliàs proposita pęna. Quicquid aũt pecuniarũ pœnę nomine exactũ fuerit, ad accusatorẽ dimidium, reliquum ad pium opus pertineat.

Lusoribus verò eiusmodi astantes clerici, atq; ibidẽ data opera moram trahentes aureis duobus pariter puniatur.

Quoties Clerici, qui sua membra ad seruiendũ immũditiæ exhibuerũt causam dicere cogũtur, illud sæpius ad excusationes faciendas in peccatis obijcere solent, sese monitos non esse. Quorum nos subterfugia tollere cupientes statutũ volumus, vt siquis notoriè, diuq; insorduerit in concubinatu huius Decreti virtute pro monito, ita habeatur, vt ad eũ puniendũ, cõcubinariorũ pœna Canonica, nil vltra, quam facti probatio requiratur; ad idq; probandũ, vbi Clericorũ desit

copia,

copia, prout in alijs delictis obseruandum mandamus, etiam laici omnes, omni tñ exceptione maiores, admittãtur, quibuscũq; nõ obstãtibus.

De mulierũ aũt cohabitatione, aut licẽtia in scriptis circa ad ipsum obtinenda, cõstitutionẽ Prædecessoris nostri mandamus inuiolabiliter obseruari; illud insuper addentes Clerico cuiquã minimè licere cũ fratris vxore, seu filia cohabitare, nisi frater ipse in eadem degat paterna domo: In parochialem.n. domum mulierem quãcumq; matre excepta, induci prohibemus.

Quicumq; insuper circũcursantem mulierem ad seruitiũ domesticũ quandoque adhibuerit, aut eius ipsius domestica vsus fuerit cõsuetudine, ac familiaritate, eiusdem pœnæ reus sit, ac si cum ea absque vlla cohabitasset facultate, aut in scriptis licentia.

Licet autem deficiẽte clerici testimonio laicũ testẽ contra clericũ non reijciamus, vt dictũ est, consultius tamẽ agendũ existimauimus, si laici quęrela aut accusatio in Clericũ aliter non excipiatur, quàm data idonea cautione, seu fideiussione de reficiendis impensis, damnisq; in casu innocentiæ, seu non probati criminis. Quod etiam obseruari volumus, ac mandamus.

Clerico ne liceat ad laicorum conuiuia, seu potius

commessationes accedere, Baptismi præsertim aut Matrimonij celebrati occasione: Mirum est .n. quantum à proprio decidat splendore paulatimq; ex laicorũ conuersatione decrescat Clericalis auctoritas.

Clerici negotiationis gratia calcariam, aut lateritiã fornacem etiam per interpositam personam ne decoquant, aut quid negotij exerceant de bonis quibuscunq; etiam patrimonialibus. Qui secus fecerint, confiscationis sortis, ac lucri pœna plectãtur, salutari pęnitẽtia iniũcta arbitrio nostro.


Clericus quocumq; ordine insignitus in habitu incedẽs clericali per alienas ædes ne discurrat mulieres docendi causa aut legere, aut scribere, aut fidibus pulsare, & modulatè canere, psalere, sub pœna aureorum decem; nisi licentia in scriptis à nobis, non autem ab alio obtinenda.

Plus æquo à Clericis nonnullis in locandis Ecclesiasticis bonis peccari nouimus contra Paulinã salutarem constitutionem, eo forte nomine, quod publicata aut in vsu recepta non sit. Quocirca nos eãdẽ constitutionẽ nunc, quatenus sit opus, publicãtes hoc Decreto cuiq; Clericorũ intimamus, ne bona ipsa vltra trienniũ locare audeat. Qui sec⁹ fecerit irritũ quid tẽtasse atq; in eius Canonis grauissimas pœnas se nouerit incidisse.

Ne

Ne quis autem ipſi conſtitutioni fraudem feciſſe videatur, eam locandi conſtitutionem ad nouẽnium, qua confirmanda, renouandaq; ſit locatio de triennio in triennium penitus abolemus.

De Parochis ac beneficiatis. *Cap.* *XIX.*



Onſueuere Parochi quamplurimi animi indiſcretam liberalitatem oſtentantes.i. de alieno elargientes ſolemnibus feſtis, ac Dominicis diebus populi oblationes, quibus Eccleſiæ quoddam quaſi impenditur tributum, ex altari recipi ſolitas omittere, ac cereos fictos, eleemoſinas, contributiones, omniaq́; regalia, ſibi, ſuæq; Eccleſiæ debita amicis relaxare; quî fit vt nonnulli contrariam conſuetudinem allegantes præſcribendi occaſionem ſumant: vnde ſucceſſoribus, Eccleſijsq; ipſis vnius in curia præiudicium ſæpè noſcitur illatum. Quare nos incommodo huic, diſpendioq́; proſpicere cupientes: Parochis eiſdẽ mandamus, vt conſuetudinẽ oblationum non intermittant, ſed ipſa oblata diebus ſolitis recipiant. Qui verò ſecus egerit, in duplũ omiſſi puniatur, nullis tamen prohibentes, poſtquam ea oblata receperint, re ipſa, quin id, quod ſuum iam eſt effectum, alijs elargiri poſſint; ſer-

uata scilicet Canonum forma.

Caueant Parochi ne Populo oblationem ipsam cõmendantes, dũ scyllam vitare cupiunt in cõtrariam incidant Carybdim; ne scilicet in auaritiæ suspitionem veniãt, dũ proprium commodum, vtilitatemq; affectant. Cum igitur ad oblationes populum inuitãt, graui id sermone, verbisq; modicis efficiant, nec curiosius quicquam perquirant, aut exigant.

Nullus Parochus, nisi qui inuitatus, atq; accersitus fuerit, in alienã parochialẽ seu beneficiatã Ecclesiã sese ingerat, eoue accedat festiuitatis celebrandæ nomine, aut potius conuiuij gratia sub pœna aureorũ quatuor ab vtroque hospite adueniente scilicet, ac suscipiente insolidum soluendorum, ac pio alicui operi applicandorum.

Insigniorum saltem locorũ Parochi post datũ Angelicæ salutationis signũ vespertinũ, cãpanæ maioris ictibus intermissis, ac per horæ octauũ perdurantibus, Parochianos cõmoneant, vt interim ꝓ viuis orent genibus flexis. sub horã vero noctis primã simili pulsatu campanæ eosdẽ, vt pro mortuis deprecentur, iterum commonefaciant: sæpius autem in Ecclesia doceant Parochi orandi eo tempore compendiosum modum ex probatis scriptoribus, Patribusq; depromptum.

Libros

Libros tam manu ſcriptos, quã impreſſos, quos Parochos habere deceat à Prædeceſſorum Cõſtitutionibus ipſi diſcant. Omnino aũt Parochi, ne mõſtruoſum videatur eiuſdẽ Epiſcopi, aut Patris potius filios, eoſdemq; inter ſe fratres diuerſis legibus, ritibusq; viuere, id quod multorũ oculis, animisq; non modicam quandoq; obtulit offenſionẽ, omni aduertant ratione, vt tam doctrinæ Chriſtianæ libellus, quàm Calẽdarij annui quaternulus, ac præterea liber ſacramentorũ ritualis, funerumq; tractãdorũ breui edendus ijdẽ apud ipſos, cęterosq; ſint in vſu, neque alijs vti liceat ſub nomine etiam maioris pietatis. Qui contrafecerint in viſitationibus præſentes arguantur, nec impunes dimittantur.

Fit plerumque vt dum Parochi, cæteriq; beneficiorum poſſeſſores Eccleſiaſticæ emphyteuſis nomine anuuatim vi canonis quid ab amico, aut conſanguineo accipiunt, Eccleſiæ iuribus lõgiſſimo tẽpore obſint. Quare omnibus beneficia Eccleſiaſtica quomodolibet poſſidentes mãdamus ſub pœna aureorum quinquaginta, atque excõmunicationis in ſubſidium, ne quẽ in poſſeſſionẽ prædiorũ, aut Eccleſię bonorum in feudũ, aut emphyteuſim longamuè locationem concedendorũ ante immittant, aut quicquam eo nomine

exigant, quàm Apostolicæ, seu respectiuè Episcopales litteræ fuerint impetratæ, atque expeditæ, totumq; negotium peractum. In primis autem animaduertant in huiusmodi probandis liuellis non sufficere inter partes sic vel sic esse conuentum, aut Bullas Papales approbationis, cōcessionisq; obtentas fuisse, nisi præterea Apostolicæ ipsæ litteræ per delegatos Iudices in eis nominatos causa cognita executioni fuerint demandatę, de quo Processus appareat.

Qui Ecclesiæ suæ iura perquirere, aut tueri noluerit, aut neglexerit, sciat se nobis, Deoq; rationē exactè redditurum.

Beneficiati omnes beneficiorum suorum prędia singula debeant intra annum terminasse, atque in librū de iuribus Ecclesiæ confectum retulisse, cū distincta expressione confinium, ac mensurarū sicubi ea mensurari consueuere.

Ne Parochus alienę Dięcesis ad Parochialē, aut Plebanā Ecclesiā ꝓ Baptismali fonte, aut benedicendo, aut consecrando accedat sub pœna aureorū vigintiquinque consuetudinis, amicitiæ, aut vicinitatis excusatione minimè suffragante.

De arboribus fructiferis, seu sterilibus minimè ab vllo beneficiatorū Clericorū incidēdis Apostolicę visitationis Decretum, pœnamq; approbātes, id

tan-

tantùm permittẽdum ducimus, vt quoties arbor aliqua agricolę iudicio putãda foret, aut omnino est, seu aliqui illius rami sicci sũt, vocatis loci syndicis tantũmodo, cõsulibus, aut alio nomine officialibus huiusmodi, atq; ijsdẽ cõsultis, suaq; sententia assentientibus possit beneficiatus incidere.

Parochos, animarũq; Curatores vsque adeò sibi indulgere non decet, vt animas à Deo suæ ipsorum curæ commendatas, quacumq; cõstitutione approbante, seu potius corruptela alterius fidei cõmittant, cibum petentes destituant, sese à laboribus, vigilijs, solicitudinibus subtrahentes. Dũ igitur Coadiutorẽ quempiã sibi asciscunt, laborum socium se elegisse ita existiment, vt laboris Parochum expertẽ, redditibusq; tamen gaudere nefas esse meminerint.

Et si veteri Synodali Constitutione caueatur, ne beneficiorũ ẽt simpliciũ Titularis Episcopo inconsulto alium suo loco, beneficij oneribus satisfacturum sufficiat, atq; substituat, ex quacunq; causa: Nos rem huiusmodi ad mitiorẽ modum reducentes satis esse volumus, si instrumentũ de hoc inter eos confectum, aut syngrapha vtriusq; manu subscripta, ac testibus roborata, cũ debita salarij assignatione in visitatione, aut vbicunq; opus fuerit, ostendatur. Quicumq; in substitutione

eiusmodi prædicta exequi non curauerit, seu neglexerit, etiam si inter partes conuenta aliunde, quàm ex scripto, probari possint, ad ipsorum nihilominus onerum integram compellatur satisfactionem executione nulla obstante.


De Seminario instituendo. *Cap. XX.*



Mmensam Diœcesim nostrã, quæ quidem Curatas Ecclesias alijs omissis plures, quã trecentas, ac terdenas etiam cõtinet, perlustrantes, summo cũ dolore videmus nullũ adhuc seminarium in ea post tot temporũ curricula esse erectũ, in quo adolescentuli clericalẽ vitã profitentes ex sacri Tridentini Concilij præscripto modo educẽtur litteris, moribusq;, & ad Ecclesiasticos ritus instituantur: Ac Synodi huius Reuerendis Confratribus desideriũ nostrũ exponentes, sępius seminarij ipsius erigendi modum, & à nobis excogitatum, & ex peritioribus exquisitum proposuimus, omnesq; quammaximo potuimus affectus conatu hortati sumus ad sanctũ eiusmodi, Deoq; gratum opus instituendũ, atq; complẽdum. Nec tamen omnibus fermè tẽporũ instantem sterilitatẽ, clericorum Diœcesis vniuersæ tenuitatem, communemq; miseriã obijcienti-

cientibus omnino, aut contradicere, aut assentiri potuimus. Quare ad proximā tantummodo futuram Synodum voluimus delatam erectionem hanc Seminarij nullius nunc temporis excusatione prorsus obstituta.

De Vicarijs foraneis. *Cap. XXI.*



E Vicarij nomen foraneis, vt appellamus, Vicarijs nostris frustra impositū videatur si iurisdictione omnino careant, simulq; vt indénitati cōsulatur eorū, quibus, cum exigua summa clericis debetur, & ob Episcopalis Curiæ distantiā, itinerisq; difficultatē non facilis est exactio, credito cedere magis expedit, quā multo cū sumptu, atq; incōmodo iure suo vti, facultates quascūq; actusq; iurisdictiales eisdē Prædecessorum auctoritate cōcessos cōfirmātes, mādamus præterea, atque nostra hac Synodo approbante decernimus, vt in causis ciuilibus inter clericos vertentibus, aut in quibus laicus in Clericū agere intendat, summā tñ aureorum duorum nō excēdentibus, Vicarij foranei ipsi facultatem habeāt cognoscendi, decidēdi, atq; exequendi de plano, simpliciter, ac summariè sine strepitu, omniq; prorsus appellatione remota. Meminerint tamē

Vicarij

Vicarij prædicti, caueãtq; ne dum de aliena substantia iudicant, suam conſcientiã damnent, animiq; iacturã faciant: si quæ autẽ iudicaturi, non intelligãt, quid iure cautũ sit, id à peritiorib⁹ exquirant, Deumq; omnino sibi Iudicẽ proponãt, ac cõtremiscant: facultatẽ præterea habeant ius faciendi Clericis quibuscumq;, vt agere contra laicum possint etiam in laicali iudicio in causa tamen propria, & pro suo tantum interesse, atq; vt ibidem testes esse possint in causis miserabilium personarum.

In criminalibus vero causis, quarum tamen omniũ cognitionẽ nobis reseruamus, nostræq; curię, ità inuigilent, circa Clericorum suæ Vicariæ subiectorum vitã, ac mores, vt si quid deprehẽderint reprehẽsione dignum, cõmonere atq; corripere nõ omittãt: si quẽ autẽ penitus indocilem, effrenatumq; experti fuerint, ad Episcopum deferãt; ac propterea in Synodo quaque Diœcesana habẽda de vniuscuiusque, præsertim animarum Curatoris cõditione, vigilãtia, moribusq; rationẽ reddant; eorumq; Parochiales, aliasq; curatas quolibet semestri semel visitare, ac ea, quę in ordinaria visitatione cõstituta fuerint, pstari curare debẽt.

Volumus autem, ac mãdamus, vt si quem Clericorum suæ Vicariæ subiectorum enormi crimine

aliquo

aliquo ita deprehensum, nouerint vt de fuga verisimiliter timeatur, inuocato nostro nomine seculari brachio eundem captum, aut si tempus occasioq; tulerit in carcerem detrusum, deinde ad nos quamprimum tuta trasmittant via.

Intermissas vero, multisq; locis omissas congregationes classesuè foraneas maiorum nostrorum vigilantia, prudentiaq; institutas restituere pro virili cupientes mãdamus cõstitutionẽ Prædecessoris nostri super hoc editam per Vicarios nostros foraneos ab omnibus in ea cõtẽtis inuiolabiliter obseruandã curari per pœnarum ipsarum omnimodã exactionem: si autem in eis exigendis indulgentes, aut negligentes fuerint, ex suo tãtumdem ipsi rependant: Renuentes vero, ac soluere detrectantes omni iuris via, nostraq; auctoritate ad duplum soluendum compellant. Absentium quoque excusationes, non nisi idoneis testibus adhibitis ex legitima causa accipiant.

Vt autem dictis cõgregationibus facilior pateat via, Vicarijs ipsis foraneis mandamus, vt intra dies octo post quamlibet habitam classem ad nos per fidum aliquem schedam seu cartam mittant, in qua notatus sit dies habitæ congregationis, eorumque nomina, qui abfuerint, illumq; diem, ac illud munus non obierint, quęstiones itẽ ibidem dispu-

disputatę vna cum suis absolutionibus. Qui secus egerit, nisi tñ se legitime excusarit, vno aureo nũmo ꝑ qualibet intermissione ꝑsoluẽdo puniatur.

Et quoniã visum est foraneas classes quolibet mẽse instituere conuocandas, ideo cuiusque mẽsis primus Lunæ dies adhoc sit per nos perpetuò assignatus. Si verò eo die festum aliquod ex Ecclesiæ præcepto occurrerit, congregationis dies transferatur in primum sequentem diem, non impeditum, reseruato tamen Vicariorum ipsorum arbitrio, quatenus eisdem placeat necessitate dictãte terminum ipsum quandoque transmutare.

De residentia. *Cap.* *XXII.*



Ynodali veteri cõstitutione concessam facultatẽ, vt quis possit abesse per octo dies intra tamen limites Diœcesis, & ex necessaria causa ab Ecclesia personalẽ residentiam requirente etiam Episcopo inconsulto, ac irrequisito sic limitandam arbitramur, atque mãdamus, vt nemini liceat abesse octonos ipsos dies toties, tamque frequenter repetitos, vt sacri Tridentini Concilij dispositioni, qua Parochis, cæterisq; præfixum est absentiæ, tempus, & causa, fiat aliqua fraus.

Plerosq;,

Plerosq; animarum pręſertim Curatores ex alio loco ſuæ Parochiali ꝓximo natos, ita ſibi, genioq; indulgentes cōperimus, vt totos dies ab Oriente, vſque ad Occidentē ſolem Parochiali ſua Eccleſia deſerta in Patria cōmorari eos nō pudeat. Cui malo quia certior, aut ſalubrior medicina parari nulla poteſt, quàm ea, quæ à Patribus Tridētini Concilij excogitata eſt, eoſdem ſub diuini iudicij interminatione, ac pœnis alijs ipſo Concilio contentis hortamur, eisq; præcipimus, ne oues ſuæ vigilantiæ cuſtodiēdas à Deo traditas Paſtoris auxilio, præſentiaq; deſtitutas deſerant. Si qñ autem huiuſmodi, ſic frequēs etiam interpolata, repetitaq; eodē anno abſentia trimeſtris fuerit, aut ea occaſione aliquem ex Parochianis ſine ſacramentis, e vita diſceſſiſſe contigerit, partis aut totius beneficij eiuſdē fructuū priuatione puniātur, iuxta criminis, ac negligentię qualitatem: Et, niſi reſipuerint, eo tandem omnino priuentur, Canonicis alijs pœnis in ſuo robore duraturis; de quo Parochi ipſi à viſitatoribus noſtris corā Populo interrogentur, ac ſcriptis mandetur, ſi quid contra prædicta commiſſum nouerint.

De cætero autem in curatarum Eccleſiarum cōcurſu, cæteris paribus ij clerici præponantur, qui aut in eodem loco aut lōgius ab eo domicilium paternum

ternum habẽt; poſtponantur verò qui curatę ipſi Eccleſiæ patriam habent proximiorẽ, quę ſępius à reſidentiæ loco tranſmeandi occaſionẽ prębet.

De collatione beneficiorum, & examine ad Parochiales. Cap. XXIII.



Otum omnibus in primis eſſe volumus, atq; memori, firmiſſimoq; animo ſemper conditum, tam conferentes munera, quã ipſa accipientes occaſione examinis ad beneficia Eccleſiaſtica vacantia in ſimoniæ vitium incidere ex Tridentini Concilij diſpoſitione, à qua minimè quibunt abſolui, niſi dimiſſis, quę obtinẽt, beneficijs, reddiq; ad vacatura inhabiles.


Quicumq; autem cõmendatiuas litteras ad nos, ſeu examinatores noſtros occaſione examinis ad beneficia Eccleſiaſtica curata, earumq; collationis à quocumq; directè, vel indirectè impetratas, præterquã à locorum Dominis tẽporalibus, vbi ea ſita ſunt, per ſe vel per alium obtulerint ad ipſum beneficium conſequendũ perpetuò, ad alia verò ſimilia per annum eo ipſo ſint inhabiles, & incapaces. Examinatores verò, quibus fuerint huiuſmodi litteræ redditę, eas nobis omnino debeant oſtendere ſub pœna priuationis officij, ad

quod

quod exercendum censeantur indigni.

Si quis aût ad Parochialē vacantē aspirans, quicūq; is sit, intra Diœcesis fines domicilium habeat, fidem Parochi afferat legitimam, atq; approbatā de optimis moribus, ac vita: sin autem nostras nō erit, sed alîus Diœcesis, ab ipso loci ordinario de eadem re litteras afferat exhibendas.

Ministrorum summi, atq; optimi Regis hæc, quæ in Ecclesia fit psalmodia, cælestem referens illā, qua Angelorum Chori vno ore collaudāt ipsum Dominum, à Clericorum nonnullis interdum sic ignoratur, aut negligitur, vt quandoque in Ecclesia psallentes cōfusionem, aut quid vis potius, quàm Musicas consonantias, & concentū aliorum auribus præferant: Quî fit vt deuotionis ardor aliquando in fidelium animis refrigescat. Quapropter Parochiali Ecclesia vacante, aût Canonicali præbenda, aut alijs beneficijs, quorum titulares, ac possessores residentiæ personali, choriuè seruitio sunt addicti, stante doctrinæ æqualitate, illos præferri volumus, qui cantum eum saltem calleant, quem firmum appellant. Quod etiam mandamus Synodo hac nostra annuente inter idoneitatis partis numerari.



De Vi-

De viſitationibus ordinarijs. *Cap. XXIIII.*


N viſitationibus ordinarijs quolibet ſaltē biennio ex Tridentini Concilij præſcripto repetendis, quoties opus fuerit, nos grauioribus forte occupationibus detenti viſitatores noſtros per loca delegare ex ipſa tantūmodo delegatione ſtatuimus, atq; decernim⁹ oēm ordinādi, cogēdi, compellēdiq; auctoritatem ēt per Eccleſiaſticas cēſuras collatā eſſe, prout nūc eam conferre intendimus vſque ad ſententiā incluſiuè, adeout tanquam Apoſtolicæ Sedis ſubdelegati, viſitantes, reformādi, corrigendi, puniēdi, ſtatuendiq; habeāt facultatem; priuatione beneficiorum, aut officiorum, cęteriſq; arduis huiuſmodi tractationibus exceptis; quarum definitionem ad nos, aut Vicarium noſtrum Generalē pro eorum prudentia, animiq; religione deferre debebunt. Conſulant tamen viſitatores ipſi ne quòd ſtatim, ac in re præſenti exequi poſſunt, ad aliud tempus differant.

Ordinationum ſcripta antequam à quolibet loco diſcedāt viſitatis relinquant, atq; ab eiſdem præteritarum viſitationum ordinationes exigant, & an obſeruatæ ſint, diſquirant.

Eccle-

Ecclesiarũ Dei munditiã, decorem, dignitatemq; pcurent, abusus corrigant, superstitiones euellant, vitia eliminent, atque inimicitias extinguant; potissimum verò quæ à nobis de sermone, atq; Christiana doctrina per Parochos habendis statuta sunt, exequenda omnino curent.

Nullatenus per pœnas, atque censuras Ecclesiasticas quoscunq; visitarint sumptibus grauent; sed personarum, locorumq; qualitatis rationem habeãt.

Clerici verò visitati quicũq; illi sint, etiam nobis personaliter deuenientibus, ac visitantibus prandiũ, cenamuè nimis lautam ne parent; sed ab omni abstinentes luxu, frugali, atque ita moderata vtantur mensa, vt præter vnum obsonium, quod Italicè vocãt antipastum, carnem elixam, & parum assæ etiam, vnius tantum generis, ac præterea aliquid coagulati lactis, & fructuum (bellarijs omnibus reiectis, ceterisq; saccaro cõpositis) nullus audeat apponere, sub pœna aureorum decem ante visitatoris discessum exigendorum. Quoties verò ad Ecclesiæ operarios pertinet mensam. Visitatoribus parare, quicquid ij vltra Genuensem libram seu tres Iulios expenderint, pro qualibet persona, ijs tantummodo computatis, quos visitator secum duxerit, de suo ipsi rependant.

Quicunq; Vicario foraneo excepto nomine etiam

G ami-

amicitiæ, aut tāquam itineris Comitem sese mensæ adiunxerit, damnatus ac eiectus puniatur.

De Regularibus. *Cap.* *XXV.*


E Regulares cuiuscunq; ordinis vagi, aut extra claustra degētes diutius vsquam morari sinantur, licet illis à superioribus concessa sit licentia (per nos tamen, Vicariumuè nostrum Generalem non confirmata, & approbata: sed per locorum Parochos) hoc nobis quamprimum nuntietur litterisq; missis significetur, ijsdē vt nos adeant, interim commonitis.

Pœnam excommunicationis per Tridentinū Concilium ijs constitutam esse, qui puellas cogunt ad habitum religiosum suscipiendum veteri Synodali constitutione expositum est; Quod nos clarius eodem nixi Concilio aperiētes, intelligendū sancimus de excommunicatione, in quam ipso iure quis talem committens errorem sit incursurus: ac non solum compellens intelligendus est incidere ipso iure in huiusmodi excommunicationem, sed quicumq; etiam prohibet puellam, ne liberè claustra ingrediatur.

In eis Monialium Diœcesis nostræ Monasterijs, curę nostræ etiam demandatis in quibus clausura ab

om-

omnibus seruari non cósueuit, puellę Religionis habitum sumpturæ ne introducantur, etiam de nostra aut Vicarij in scriptis licẽtia; quam ex nũc, quatenus de cetero obtineatur, obreptitiam, subreptitiamq; declaramus. Dum enim Monialibus, quæ modo sunt, quieta ibidem mente viuere permittimus; Monasteria tamen ipsa extinguendi animum non omittimus, aut saltem easdem reducendi ad eum numerum, quo de suis bonis ali possint, nec indecorè extra sępta mẽdicare cogan tur, donec secus à sede Apostolica fuerit definitũ: Interim tamen quæ victus necessitate cogente iam ante id tempus exeundi obtinuere facultatem, nullo pacto exeant, nisi à pręfecta atque à confessario venia petita; quæ concedenda non erit nisi loco, & tempore limitata: Parochi autẽ, per quorum Parochias eæ quęritant eleemosinam, nullatenus ipsas, nisi nostra exhibita licentia, admittãt. Prorsus tamen caueant Moniales ipsæ, ne ad locum aliquem diuertentes ibidem pernoctent, præterquam pernoctandi expressa à nobis impetrata facultate, idq; vbi contigerit, in ædibus piarum tan tùm, nec ullo nomine suspectarum personarum per locà cõstitutis, atque ad hoc ipsum assignatis degant. Quæcumque his minime obtemperauerit, fraudemue commiserit, omnem de cetero

excundi ſpem, ipſumq; amittat Priuilegium intra ſępta perpetuo permanſura.

In vſum reuocetur vetus conſtitutio de non accedendo ad moniales quaſcunq; etiam ſub Regulariũ protectione exiſtentes, niſi de noſtra in ſcriptis licentia, ſub pœna excommunicationis ac aureorũ quatuor maiori loci Eccleſiæ applicandorum exceptis perſonis primo, & ſecũdo gradu coniũctis.

De Confraternitatibus. Cap. XXVI.



N Confraternitatum, ſeu diſciplinatorum oratorijs non modò incenſum ſibi inuicẽ Confratres præbere prohibemus, ſed nec palmarum aut candelarum benedictiones, aliaue Parochialia munera ĩn eis per ſacerdotes fieri, aut exerceri permittimus conſuetudine quacunque non obſtante.

Quoties contigerit Cõfratres diſciplinatorum cum loci Clero proceſſionaliter quacunq; occaſione incedere, eos maxime decet Eccleſiam ſemper ingredientes Clerum ipſum ab illa deducere atque mox ad illam reducere: Quod in proceſſionibus præcipue generalibus præcipimus inuiolabiliter obſeruari.

Ad funera vero Confratres acceſſuri omni vtantur dili-

diligentia, ne Clerum, Deiq; sacerdotes in Ecclesia indecenter nō sine scādalo remorētur diutius.

Confratres ipsos quæcunq; statuta sunt infra de locis pijs, eorumq; administratione inuiolabiliter obseruare mandamus.

Ne in Confraternitatum Oratorijs oratio quadraginta horarum etiam de communi Confratrum voto, aut eorūdē publica causa, aut necessitate instituatur, aut sanctissima Eucharistia ex matrice Ecclesia seu aliūde delata in ipsa inferatur oratoria, nisi scripto fuerit à nobis licentia impetrata.

Confratres disciplinatorum teneantur ad generales processiones, aut de consuetudine aut ex publica causa seu voto institutas accedere, atq; conuenire, cappam siue saccum de more induti. Si uero cuiuscunque oratorij confratres huic contrauenerint sanctioni, prima vice eorum oratorium missa priuetur ipso iure. Secunda vero, aut vlteriori interdicto subijciatur.

De Processionibus. *Cap. XXVII.*



QVò propius progrediendi modus in processionibus pro cuiusque dignitate seruetur, mandamus, vt processio anniuersaria sanctissimi corporis Christi, aliæq; maiores solē-

nes, aut publica causa, votoue indictæ longiori tractu extendantur; menstruæ vero, idest, quæ in Ecclesijs etiam Regularium vbi societates corporis Christi aut Rosarij, aut Corrigiæ, aliæue huiusmodi fiunt quolibet mense, aut certo anni tempore, Ecclesiam solummodo ipsam ambiant; quę si ambiri nequit circa eius aream, fores, claustra aut parietes tantum extendantur; vel ex vno Ecclesiæ ostio egredientes per Ecclesiam iterum ingrediantur; seruata tamen debita à regularibus clausura.

Qui ex animi pietate atque, quam vouerunt, obediẽtia, aduertere debent, ne, dum processionaliter incedunt, Parochorum iura, confiniaq; perturbent.

Omnino autem dum in męstrua, priuataq; ipsaq processione sanctissima Eucharistia deferenda est, sacerdos eam deferens, non nisi pluuiale indutus, atque duodecim saltem luminibus accensis, ac longe pluribus fidelibus prosequentibus Ecclesiæ fores egrediatur: ipsa autem processio Confratribus, ac præsertim officialibus præsentibus, atque instantibus est facienda.

Non modo autem in ipsa Corporis Christi aut generali, aut menstrua processione, sed etiam quandocumque sanctorum reliquiæ processionaliter, detectę præsertim, deferuntur, seu conspicuę, omnes

detecto

detecto capite incedere debeant. Qui secus fecerit à Parocho seu Præfecto arguatur, obsecretur, aut increpetur pro personæ qualitate.
Quandocunq; Eucharistia aut ad infirmos, aut processionaliter extra Ecclesiam defertur, campanula pulsata, ac sonans præmittatur, qua moneantur fideles omnium Dominum adesse.
Quia vero soni similitudine sępe numero fideles falli possunt, dum iumentorum collo appensa campanula sonãs auditur, Ideo Parochi omnes semel atque iterum, & quandocumque opus esse nouerint, frequentem de altari populum moneant, ne cãpanulis ipsis ea forma, qua vtitur Ecclesia, confectis ad profanum, vilemq; huiusmodi usum ullus audeat transferre. Quod si quem repeperit contumacem, pœnam aurei vnius, loci pauperibus, aut tabernaculo maioris Ecclesiæ applicandi exigat, inuocato si oportuerit brachio sęculari: eas vero q̃ in orbe fabrafactæ sunt minime ꝓhibemus.
Quicquid de Processionum ordine, ac ritu seruando per Prædecessorem nostrum sanctè, prudenterq; statutum est, necnon de prærogatiuis in iisdem quęsitis, idem nos etiam comprobantes, præcipimus obseruari omnino, excommunicationem tamen super hoc omnem de medio tollentes.
Nonnunquam natura ad malũ sępe prona fit, ita ut quæ

ad bonum finem Deiq; Opt. Max. laudem inuenta sunt, in malum delabantur, & quasi ex Medicina venenum paretur, atque quæ prius fuerant piè instituta, & obseruata, pro ioco paulatim habeantur; ex quorum genere illæ sunt spirituales actiones, seu repræsentationes, quæ tum personis silentibus, quæ tamen dignissimos aut viros, aut spiritus repræsentant; tum verò sermocinantibus, ac, quę hac hominum ętate de sacris ac vetustissimis historiarum libris antiquissima referāt, processionibus potissimum prodeuntibus spectandę populo proponuntur: Quas omnes ac singulas nos hoc decreto interdicētes statuimus, ne quid huiusmodi per aliquem instituatur, aut operā coadiuuetur, absque nostra in scriptis licētia impetrata sub pœna nostro reseruata arbitrio.

De locorum piorum administratione. Cap. XXVIII.



Rędecessoris nostri Decreta ad piorum locorum administrationem pertinentiá partim confirmantes, partim tollētes, partim etiam magis extendentes hæc his nostris sanctionibus decernimus.

Vt locorum piorum quorumcumq; aut laicalis, aut Clericalis conditionis administratores in ipso admini-

ministrationis limine Inuentarium rerum mobilium, ac immobilium à prædecessoribus accipiãt; aut nondum confectum de nouo conficiant, successoribus deinceps consignandum cũ omnibus in eo notatis suppellectilibus, rebusq; alijs omnibus. Nec diutius in officio, quàm p annũ psistant; nisi nobis, re perpensa, aliud visum fuerit.

Nec vero, cum vnus tantum electus est, ad piũ opus ministrandum; cui etiam demandata sit cura capsulæ pecuniæ ex redditibus, aut eleemosinis perceptæ ipsam capsulam aperire vllo vnquam tempore solus audeat, sed omnino ab eis, ad quos pertinet, eidem alter adiungatur, apud quem altera clauis capsulæ duabus clauibus obsignandæ conseruetur: Quo minimè electo ad loci Parochum id muneris ipso iure sit delatũ, ad euq; pertineat alterius clauis custodia pro æqua parte pecuniarũ cura; si autẽ duo eligantur officiales ad opus piũ administrandũ difficiles continens tractationes, ne vterq; eius administrationis ignarus, nouusq; accedat, vnum tantummodo singulo quoq; semestri renouandum, eligendumq; mandamus; ita vt quisq; post annũ à die suscepti muneris administrationem nouo successori, & alteri collegæ, qui sex mensibus posterior secum pij operis curã gesserat, legitimè relinquat. Sin vero plures eligi

soleant,

solebant, enarratio incatur, vt vnus saltē ex veteribus officialibus in officio semper permaneat.

Infames ac excommunicati, blasphemi, publicéque peccantes, propriorum bonorum dilapidatores, decoctores, ad inopiam vergentes, vigintiquinq; annis minores, aut anteriori administrationi, si quam gessere, adhuc obnoxij, ac debitores nullatenus sunt eligendi.

Sorte minimè vnquam eligantur, sed omnino communibus votis, suffragijsq;.

Quicumque autem electus fuerit, ad ipsius pij loci operisuè pretensiones, iuraq; perquirenda teneatur; ne qui propria sollicitè curat, quæ Dei sunt, obiter tractare videatur, aut etiam negligere, cum ipsi Deo non obiter, sed exactissime sit rationem redditurus. Quæ instauratione indigent, corruere negligenter, delabiq; non patiatur. Bona mobilia pretiosa, aut vlla immobilia non distrahat, neque hæc ipsa vltra triennium locet. Cognatis autē quocumq; consanguinitatis, seu affinitatis nomine coniunctis nullo modo locet, vsque ad tertiū gradum inclusiuè. Locanda prædia, fructusue vēdendos, aliaque iure alienāda ac distrahenda subhastationi publicè subijciat, vt ei qui pluris cōducere, aut emere velit concedantur.

Non tamen ex arbitrio id faciat; sed eo tempore, quo

res pluris valdè solent; caritate tamen aliud non distantes. Quod ipsum etiam probare debeat per Curiæ ministrorum relationes, aliaq; publica documenta, tempore rationis reddendæ.

Iuramentum de benè, & fideliter exercendo in manibus Prædecessorũ, aut alijs ad hoc eligendis pstet.

Parocho, qui nostro nomine præsens sit, si alius à nobis electus non fuerit administrationis ratio reddatur: Aliter nulla sit atque inanis omnis inde secuta liberatio.

Parochi alijue nostro nomine interuenientes, qui cõputis ipsis subscribendo fraudem fecisse cogniti fuerint, pœnâ falsi puniantur.

Quicquid proprio debet nomine ratione suæ administrationis intra mensem ab officij fine cõputandum officialis re ipsa soluat sub pęna dupli.

Debito autem nondum soluto nedum liberationem obtineat; sed neque etiã de bene gestis fidẽ vllã.

Residuę verò summæ, quam à cęteris debitoribus adhuc non exegit, ipsemet debitor vsque adeò constituatur; vt nisi intra sex mẽses exigat, ipse de suo soluat, aut de diligentia in exigendo, etiam iudicialibus actis sumptu proprio expeditis doceat: nec liberetur, nisi eo tandem debito soluto, atque exacto, aut q̃ nõ possit exigi, legitimè demõstrato

Successores autem, quibus Prędecessores ita assignati

sunt

sunt pro debitoribus ipso semestri elapso, eos omnibus iuris remedijs ad solutionem cogant, compellantque: Alioquin ipsi quoque successoribus suis de eadem summa pariter debitores fiant.

Quodcumque contra præmissa à quocumque attentatum fuerit, irritum, nullumq; declaramus, damnumq; pio operi passo reficiendum, cum dispendijs; ac tantundem rependendum decernimus.

De operarÿs. *Cap.* *XXIX.*



Erbis vix exprimere possumus quo animi mœrore Diœcesim nostram nuper visitantes alicubi cognouerimus Ecclesiarum ędificio atque ornatui piorum hominum voluntate legata, ac destinata bona, annuosq; item fructus ab ipsis earum operarijs, & æditiuis impiè vsurpari. Quare cauendum duximus; ne ipsi quicquam Rectore inconsulto expendant aut quidquam exequantur, quoad Ecclesiæ reparationem, cultum, ornatumq; pertineat.

Quæcumque vero de electione ipsorum auctoritate nostra confirmanda, de subhastatione, de iuramento præstando, & reliquis similibus piorum locorū administrationibus statuimus; his etiam perinde, atque si hoc ipso loco expressa forent, statuta præcipimus.

Potissi-

Potissimum vero cum Ecclesiæ opera certum, annuumq; redditum habens à laicis administratur, eius fructus quoscumq; pẽsionis nomine, aliasuè perceptos in ędibus Parochialibus, aut loco communi aliquo duplici sera concludendo mensuratos reponi, conseruariq; mandamus: Cuius ostij altera clauis apud ipsos sit operarios; altera verò apud loci Parochum, aut cuiusuis alterius nominis Ecclesiæ titularem; indeq; vendendi fructus minime extrahantur nisi Parocho ipso præsente, ac cõsentiente; seruata subhastationis forma: Quæ ipsa forma seruanda item erit in prædijs operę locandis; vt scilicet, nec Parocho inscio quidquã fiat, nec operariorum cognatis prædia cõcedãtur.

Venditorum autem vt supra fructuum pretium in capsula reponatur, duplici muniendo claue, quarum vna apud operarios altera vero apud Parochum seruetur. Ac ipsa capsula loco fructibus iã assignato condatur; nec vnquam Parocho inscio, aut contradicente aperiatur. Si quis autem propriæ nixus auctoritati contra quid ex prædictis agere, & Parocho excluso operæ bona, redditus, pecuniamuè tractare, aut ministrare tenaciter voluerit, excommunicationis gladio feriatur; à qua nisi publica peracta pęnitentia non absoluatur.

Hic autem Principes quoscunq; pro Christiani nominis

minis gloria hortamur, ac ipsorum officialibus, qua fungimur auctoritate, præcipimus, vt à nobis aut Ecclesiarum Parochis nostro nomine requisiti, sęcularis brachij concessione omnique auxilio, & fauore adsint; ac fauentes cooperentur; vt Dei Ecclesia ab impijs læsa restituatur; & post hac non amplius lędatur, aut expolietur.

Interim verò Parochi ab Ecclesię operarijs admoniti, si quos operæ debitores nouerint, ac soluere detrectantes ab Ecclesia ipsa repellant, ac donec soluerint arceant. Noscant tamen ipsi Parochi quoscumque inopes à tractatione bonorum opere prohibere, aut eorum inopiæ misereri.

Sicubi autem antea iam consueuit Ecclesiæ opera à pijs viris fideliter ministrari eiusque ratio aut nobis, aut alteri, nostro nomine præsentibus reddi, Parochi non omittant id nobis litteris notum facere; vt nos operariorum ipsorum precibus gratis subscribentes præmissæ, eos legi minimè subijciamus: Dum enim ab impijs hominibus infidę rerum piarum tractationis seueriorem exigimus rationem, absit, vt fidelium piorum auctoritati quicquam detrahamus.



De Ho-

De Hospitalibus. *Cap.* *XXX.*



Illis, quæ de Hospitalibus, eorumq; hospitalarijs iam statuta sunt, alijs ante nostras Constitutionibus, nos pauca hęc adijcientes decernimus, ac mandamus, vt in Vltramontanis præsertim recipiendis omni diligentia aduertant, caueantq; hospitalium Curatores, ne in Hospitium Dei pauperibus dicatum diuini nominis, atque Catholicæ Ecclesiæ hostes recipiantur.

Vt quibus in hospitijs pauperes iugi morbo, lepra, grauiq; corporis incommodo affecti diutius solẽt hospitari, ac commorari, certa orandi matutino ac Vespertino tempore forma, ac piè viuendi ratio præscribatur, in ipsorum hospitiorum, seu hospitalium cellis quibuscũq; Iesu Christi imaginẽ, aut B. Mariæ Virginis aut Crucis, alicuiusuè sancti parieti affigendam præcipimus.

Atque si aliqua id ratione fieri potest, cõmune Oratorium, aut orandi locus constituatur altaris mensa aliqua, ac imagine picta alicuius sãcti decorus, quo bis in die omnes vnà conueniant, campanula aliqua conuocante.

Hospitalium ædes à priuata persona, quæ pauperibus non inseruiat, incoli minime permittimus.


Ho-

Hoſpitalis autem ſuppelleĉtilia, ſeu mobilia extra hoſpitale ipſum paupertate laborantibus, etiam nobilibus, non tamen ægrotantibus accommodari prohibemus, ſub pœna hac, vt qui accommo dauerit de ſuo reficere cogatur.

Si qui vero ſunt loci eiuſdem Incolæ, aut ex ea patria nati, ſeu inde oriundi egeſtate, atque ęgritudine confecti, liberius omnibus alijs libentiusq; alendi, curandiq;, quoad ferant hoſpitalis rationes, ſuſcipiantur; hoc eſt pro reddituum bonorumque copia. Quod ſi quæ pecuniæ, fructuſue ad anni finem ratione reddita ſuperfuerint, in cęterorum eiuſdem loci pauperum ſuſtentationem tãquam in vſum ſimillimum volumus erogari.

Omnino autem quandocunq; redditus ad ſolitum hoſpitandi officium ſatis ſuperq; ſunt, quod reliquum eſt, ſeu qui ſuperfuere redditus in prædiorum emptionem, aut ad redditus augendos expendi prohibemus.

Hoſpitalium verò cuiuſque conditionis adminiſtratores quæcumque per nos de piorum locorum adminiſtratoribus, atque adminiſtrationibus ſancita ſunt, inuiolabiliter obſeruare mandamus.



Dein.

De Inuentario bonorum Ecclesiasticorum, ac locorum piorum. Cap. XXXI.

DE duplici autem bonorum authentico Inuentario, in quo res, iura, redditus, ac bonorum omnium qualitates, & quantitates cótineri debent, per Beneficiorum quoscumque titulares, locorumque piorum administratores conficiendo Prædecessoris nostri Decretum omnino seruandum mandamus.

Quod si præstitum non fuerit omnino, neque ad nos fuerit exemplum ipsorum Inuentariorum alterum transmissum, prædicti omnes in prima quaque visitatione pœnas dabunt.

De pijs legatis. Cap. XXXII.

QVod item ab ipso Prædecessore nostro sub excommunicationis latæ sententiæ pœna statutum est, vt notarij piorum legatorum, quæ apud se habent descriptum exemplú Ecclesiarum Rectoribus, seu quolibet modo titularibus transmittant aut aliquo modo ipsos de eisdem legatis certiores intra mensem á morte testatoris faciant; hæredes autem intra annum le-

gata persoluant; nos piæ eiusmodi mentis legem seueriori iuri innixam iudicantes, eam approbamus quidem, & confirmamus; excommunicationis tamen vinculum sic relaxare visum est, vt inobedientes non ipso iure tali pœnæ subijciantur, sed ipsa eisdem, cum deliquerint, sit inde infligenda.

Confessarij vero etiam Regulares, qui legatorum huiusmodi solutioni obnoxios ipsa solutione non præstita absoluerint, suspensi sint ipso facto; nisi tamen pœnitentes ea laborent paupertate, vt soluendo non sint, & solutio impossibilis aut maximè difficilis reddatur.

De vsuris. *Cap.* XXXIII.



Suram committentes, & cōtractuum feneraticiorum proxenetas, notarios, ac testes excommunicationis pœnam subire constituimus; Non tamen excommunicatos eo ipso volumus; contraria cōstitutione minime obstāte. Quamuis enim vsuræ crimen nō excommunicatione tantum latæ sententiæ, sed igne etiam ipso expiandum, ac penitus delēdum foret, adeò tamen irrepsit in hominum mentes insatiabilis cupiditas, atque execrabilis fames, vt dum excommuni-

 cationis

cationis gladium contemni videmus, eo parcius vtendum, manumque retrahendam statuamus.

Si quis autem vsuræ conuictus fuerit, non in propria tãtùm Parochiali, sed in Cathedrali etiam nostra Ecclesia de suggesto, seu pulpito excommunicatus publicetur expressa excommunicationis causa; & cedulones alterutro loco affigantur; personarum conditione, aut nobilitate nulla penitus obstante.

Contractus omnes, quibus pecunia fruenda pro re fructifera similiter fruenda, nempe pro domo, prædio, fundo, equo, & huiusmodi re alia ad tempus traditur, vt alterutrum deinceps Domino restituatur, fœneraticios declaramus personarum, rerum, temporum, locorum, etiam piorum prærogatiua nulla obstante.

Circa emptiones quæ fieri solent cum pacto de retrouendendo, non modo quę per Prędecessorum nostrorum Constitutiones sancita sunt, obseruanda mandamus; vt scilicet venditio non ficta sit sed realis; res iuxta verum pretium, & valorem æstimetur, neque de precio ab ęstimatoribus declarato vltra quintam partem detrahatur; commoditate redimendi non minoris temporis existente, quàm annorum quinque: sed etiam, cum prædium idem, resue alia fructuosa eidem vendi-

 tori

tori per emptorem locatur, volumus ac præcipimus annuam pensionem, seu pretium locationis haud aliter exigi, quàm iuxta redditus, fructuum'q; æstimationem; & deducta coloni portione: Ac, nisi tam res ipsa, quàm annui fructus per duos saltem æstimatores publicos æstimati sint, deque eorum relatione, cum iuramento in venditionis Instrumento facta sit mentio, vsuræ talem contractum argui posse docemus.

Nulli tamen ex præscripta quinquennij computatione prohibitum volumus, quin pro minori tempore, vel etiam ad annum tantummodo fieri possit commoditas redimendi iuxta contrahentium voluntatem, modò pro rata, & æqua portione deducatur de ipsa quinta totius pretij parte, qua res minoris fuisset emenda pro quinquennij commoditate: Ita vt, si id quod communi æstimatione valet 125. ematur 100. facta quinquennij ad redimendum commoditate iuxta præmissa; eadem ratione, si ea commoditas ad annum tantum extendatur, illud idem viliori pretio, non ematur quàm 120. cum eandem proportionem habeat vnum ad quinque quàm habent quinque ad 25.

Nec tamen liceat vltra ipsam quintam partem minoris emere, etiam facta ad perpetuum tempus redimendi commoditate.

Ne cui autem Episcopalis Curiæ longinquitas, aut Iudiciorum ambages, aut eorum, qui querelas, seu delationes exponunt, imperitia vel inopia impedimento sit, quominus vsurariorum scelus detegatur, ac corrigatur; qui deputandi à nobis per loca sunt vsurariorum Iudices, delegati iuxta facultatem eis scripto impertiendam, qua decet pietate, ac prudentia curabunt, vt sine eorum, qui querelas huiusmodi exponunt, dispendio, vsurariorum causæ simpliciter, & planè cognoscantur; atq; pestis hæc à regionibus, finibusq; nostris eliminetur ac explodatur.

De funeribus, ac sepulturis. *Cap. XXXIIII.*

Diebus ex præcepto Ecclesiæ festiuis nullatenus sacrum fiat pro mortuis; seu, vt apertius loquamur, nulla defunctorum Missa, etiam occasione funerum, aut depositionis celebretur; sed in sequentem diem differatur.

Cum Ecclesiæ alicuius Clerus ad defuncti funus accersitur, aut Defunctorum Missæ, aliæuè votiuę ex piorum deuotione canendę sunt, à Chori Clero minimè excludantur, minorum ordinum Clerici, dum superpelliceum induti sint, & Ecclesiæ ipsi actu inseruiant, Clericaliq; habitu insigniti conti-

nenter incedant: Nos autem non solum à Choro excludi nolumus; sed neque ab eleemosina, Cereoue percipiendo; non enim trituranti boui os alligari conuenit.

Nullus Clericus etiam in minoribus constitutus in ipsorum cereorum distributione à suo discedat ordine, aut strepitum, ac tumultum conditet, vnde circumstantibus scandalum oriatur; sed vnusquisque graui cōsistens gradu, oculisq; demissis, quodcumque oblatum sit, tacitus sereniore accipiat vultu. Quicunque nostris spretis mandatis minime his obtemperauerit, coram primum à sacerdote maiori corripiatur; deinceps vero ad nos grauiter puniendus deferatur.

Vbicūque mulieres defunctorum cognatæ in funus prodeunt gemebundæ Ecclesiam in quam cadauer infertur, ingredi minime permittantur, sed omnino confessione generali iuxta Prædecessoris nostri præscriptum ritum ad Ecclesiæ fores recitata dimittantur.

Si quo tamen in loco præsertim insigniori, viri tantùm funus prosequi solent dummodo gemitus, singultusuè non excitent quibus diuina interturbēt officia, & à Cadauere pcul absistāt, aut ab Ecclesia statim discedere soleāt, Vicariorū Foraneorum sit his perpēsis ingrediendi licentiā elargiri.

Paro-

Parochi omni ratione, ac toto conatu prohibeant, ne mulierculæ circa cadauera consistentes in proprijs defunctorum ædibus, ne dum in Ecclesia cantilenas querulas componãt, aut ante ipsorum cadauer genuflexæ pronæue, ac prope modum adorantes permaneant, aut feretrũ amplectãtur.

Nusquam autem nisi in Parochialibus, aut alijs consecratis Ecclesijs sepelire liceat. In oratorijs autẽ, etiam si confraternitatum sint; aut disciplinatorum quorumcumque nemo in posterum audeat sepelire, nisi duobus coniunctiuè concurrentibus atque probatis, longissimo scilicet vsu, ac loci ipsius consecratione. Quod vltimum appareat vno saltem ex his quatuor modis; nempe aut scripturarum monumentis, aut viuentium memoria, aut signis in parietibus conspicuis, aut demum consecrationis die celebri anniuersario.

Cum aliqua in Ecclesia sepulcra, de nostra tamen in scriptis licentia construenda fuerint, non alias, quàm superinducto fornice, ne fœteant, construãtur: Defosso vero, excauatoq; tantummodo pauimento sepelire interdicimus, ac prohibemus sub excommunicationis pœna.

Ecclesiarum Curatores sepeliẽdum Cadauer domo exportari iubere non teneantur, nisi retraditis sibi prius ceris, reliquisq; consuetis: omni tamen tem-

pore aduertant, & caueant, ne tali occasione scandalum oriatur, quod nos impunitum passuri minime sumus.

Cerei intortitia, aut Ceræ quęcunque accedentes ad Cadauer, funusq; comitandum, aut honestandũ, funere peracto, Ecclesiæ Curatori, aut sacristæ aut illis, ad quos de iure, seu consuetudine pertinere noscuntur, quæsitæ intelligantur; neq; de eis in facultate sit hęredum defuncti vllo modo, etiã in piorum operum locorumq; fauorem, vtilitatemque disponere; exceptis funeribus miserabilium personarum, quas vt iubemus ex Caritate, nullaq; expectata eleemosina sepeliri, ita volumus ceras funerum huiusmodi eorumdem esse, qui eas pietatis gratia, aut commodarunt, aut tulerunt.

Nullus pręterea audeat cadauera proprio irrequisito Parocho, aut inuito vel funerali portione eidem non soluta in proximas alienæ Dięcesis Ecclesias aut Cœmeteria inferre, ac sepelire.

Quandocunq; autem officium pro defuncto aliquo in Ecclesia fit, is ad eleemosinam participandam non admittatur, qui Missę maiori, aut absolutioni si in ea facienda sit, non interfuerit; etiam si minorem missam ante celebrarit vel post celebraturus fuerit.

Cum vero cadauer ad Regularium Ecclesias sepe-

lien-

liendum defertur, Parochum funerali portione ex sacris Conc. & Can. debita fraudari non decet; cui funerali portioni nos ad multas inter Parochos, & Regulares, tũ ortas tum quæ forte post hac orientur contentiones dirimendas declaramus cedere, atque in ea comprehendi non modo intortitia, cereosq; tam accẽsos quàm extinctos; qui circa cadauer deferuntur, verum eos quoq; qui super ipso Cadauere, cadaverisue feretro, aut capsa collocantur; nihil in contrarium penitus obstante. Per id tamen nolumus occasionem refricandarum prætensionum veterum præbuisse; sed de cetero tantum Decretum huiusmodi intendimus locum habiturum.

Si quãdo autem Regularibus occasione funeris huiusmodi non cera, sed eleemosina à defuncti heredibus præbetur, tunc Parocho tres Iulios, vt appellant, argenteos pro quarta funerali soluendos constituimus.

De Monitorialibus litteris. *Cap. XXXV.*



Onitoriales litteræ excõmunicatione præposita ad finem relaxationis pro re minoris, quàm aureorum viginti, valoris ac pretij non concedantur. De quaqs veritate simplici

sup-

supplicantium affirmationi sine iuramento credatur. Et tamen Clausula, atque conditio ipsis litteris inseratur, vt pro minori, quàm ipsorum viginti aureorum summa excommunicatio decreta non intelligatur; nullusq; siue detentor, siue conscius non reuelans pro minori valore, quàm aureorum sex latæ subiaceat excommunicationi: Quod pariter ipsis litteris exprimendum mandamus.

Omnino autem prohibemus quemquam etiam iniustum detentorem, deceptorem, furem, falsarium, aut alia ratione impium hominem in ipsis litteris nominatim, iuxta proprium nomen, & cognomen appellare, sed tantummodo designari, aut circumscribi volumus per expressionem locorũ, ac temporũ, rerumq; qualitatem, atq; tractationem: neq; verò vllum verbũ proferatur, quod iniuriam vindictã aut vllam sapiat criminalitatẽ. Cancellarius verò qui litteras monitoriales, alicuius sic ex processu nomen aut iniuriam continentes fecerit dictario, aut publicandas acceperit, actione iniuriarum teneatur, & ad offensi instantiam contra ipsum seuerius procedatur.

Nec preces hac ipsa occasione oblatæ ab ullo, quàm à nobis cognoscantur: Generalis tamen Vicarij subscriptionem apud quoscunq; fidem æque facere

cere

cere volumus, ac si nos ipsi subscripsissemus.
Pro litterarum ipsarum subscriptione dimidia aurei pars soluatur Episcopali Curiæ.
Ecclesiarum vero Curatoribus, à quibus eæ publicantur pro duabus prioribus publicationibus quatuor obolos siue Genuenses solidos, pro vltima verò, accedente simul fulminatione obolos octo solui mandamus. Quibus ante non solutis Parochus ad publicationem petitam non teneatur; consuetudine tamen, qua aliquibus in locis plus solui solet, in suo robore permansura.

Decretorum Conclusio. Cap. XXXVI.



Volumus autem ac statuimus, vt veteres Prędecessoris nostri Synodales Constitutiones in suo perdurent robore, atque in priore apud omnes vi, obseruationeq; vigeant, paucis tantummodo exceptis, quibus per has nostras abrogatum sit, aut derogatum. Pœnas verò his ipsis nostris Constitutionibus, aut comminatas, aut ipso iure inflictas reliquis sacrorum Canonum, aut Conciliorum, aut Apostolicarum sanctionum veterumue Constitutionum Synodalium pœnis cumulatiue volumus aggregatas, additasq; intelligi, atque re ipsa haberi.

Si

Si quid autem his decretis expositum aut assertum sit, quod sacrorum Conciliorum oecumenicorum, vel Canonum, aut sanctae Catholicae, ac Romanae Ecclesiae iustissimis, rectissimisque sanctionibus ac placitis aduersetur: id totum, tanquam humanae nixum fragilitati reuocantes irritum, nullumque esse volumus ac declaramus.

F I N I S.

LECTOR DIXIT.

REuerendi Patres. Hę sunt constitutiones, ac decreta, quæ vobis seruanda proponit Perill. ac Reuerendiss. Dnus D. Io. Baptista Seruaghus Episcopus vester. Placet ne vobis ipsa seruare? Responderūt. Placet.

Acclamationes.

℣. Misericordiarū, ac totius cōsolationis Deo nostro.

℟. Sempiterna laus, & Gloria.

℣. Sanctissimo D. N. Innocentio IX. diuturnum regimen atque Ecclesiarum sollicitudo.

℟. Post multos annos ęterna felicitas.

℣. Reuerendiss. Antistiti nostro Io. Baptistæ salutaris sapientia, ac super grege vigilantia.

℟. Episcopum nostrum Dñe diu nobis incolumen serua, ac tuæ benedictionis rore profunde.

℣. Sereniss. Senatui Genuens. vbiq; felicitas.

℟. Rempub. nostram Domine in terris de hostibus triumphantem in cęlesti fac gloriosam.

℣. Sarzanensi ac Spedien. nostris fidelibus Populis de cęlo benedictio.

℟. De rore cęli, & de pinguedine terræ desuper crescat benedictio vestra.

℣. Synodi huius Reuerēdis Patribus ad regiones suas ac demū ad cęlestē patriam prosperū Iter ac felix.

℟. Amen, Amen. Fiat, Fiat.

His cęterisq; de more peractis rogatoq; de præmissis p Synodi Secretariū publico Instrumēto, indictaq; futura Synodo omnes sub silentio abiere.

Nec

Nec infrascriptis diebus reddatur ius in foro nostro, sub pœna à felicis recordationis Prædecessore nostro iam illata.

FEBRVARIVS.

Habet Reuerendi Episcopi, & martyris.

APRILIS.

Sancti Francisci de Paula.

MAIVS.

Sancti Ioannis Papę, & martyris, qui est dies consecrationis præfati. M. Ill. ac Reuendiss. Domini.

IVNIVS.

Sancti Antonij de Padua.

IVLIVS.

Annæ viduæ matris Dominæ nostræ.

AVGVSTVS.

Dominici Confessoris.

SEPTEMBER.

Venerij Abbatis.

OCTOBER.

Francisci Confessoris.

DECEMBER.

Eutychiani Papę, & martyris.


Nomina examinatorum Synodalium.

Reuerendus D. Archidiaconus.
Reuerendus D. Præpositus.
Reuerendus D. Io. Antonius Griffus.
Reuerendus D. Camillus de Cauallerijs. } Canonici.
Reuerendus D. Iacobus Parentuccellus.
Reuerendus D. Prosper Calanius.
Reuerēd. D. Lactātius Finellius Theologus.

Reuerendus P. Vicarius Sancti Dominici.
Reuerendi P. Philippus de Spedia ordinis S. Francisci min. de obseruantia.
Reuerend. D. Hieronymus Puteus Rector Spediæ.
Reuerendi D. Franciscus Capellettus Rector Fosdinoui.
Reuerendi D. Hieronymus Rodus Rector sancti Geminiani de Pontremolo.
Reuerendi P. Magister Reodatus Prior Sancti Augustini de Spedia.

Iudices Synodales.


Reuerend. D. Archidiaconus.
Reuerendi D. Hieronymus Contardus.
Reuerend. D. Camillus de Cauallerijs.
Reuerend. D. Prosper Calanus. } Canonici.
Ill. & admodum R. D. Quatius Bracellius.
Reuerendi D. Ascanius de Cauallerijs.
Reuerẽdi D. Lactãtius Finellus Theologus.
Reuerendi D. Hieronymus Puteus Rector Spediæ.
Reuerend. D. Hieronymus Rodus Rector Sancti Geminiani de Pontremoli.
Reuerend. D. Franciscus Capellettus Rector Fosdinoui.
Reuerend. D. Ambrosilis Magnaninus Rector Fiuizzani.
Reuerend. D. Io. Baptista de Marlettis Plebanus Mirteti de Massa.



IN nomine Domini Amen. Anno à Natiuitate eiusdẽ Millesimo quingentesimo nonagesimo primo, Indictione quarta die vero decimatertia mẽsis Nouẽbris. Pontificatus Sanctiss. Dñi N.D. Innocẽtij diuina prouidentia Papæ Noni Anno primo: Supræscriptæ Synodales Cõstitutiones lectę, & publicatę fuerũt in generali Synodo Cleri Lunẽsis, & Sarzanẽsis Diœcesis in legitimo & sufficientissimo numero existẽtis corã Multum Ill. ac Reuerendiss. D.D. Io. Baptista Seruago, Dei, & Apostolicæ sedis gratia Lun. Sarzanen. Episcopo, & Comite legitimè congregati in Ecclesia Parochiali Sanctæ Mariæ terrę Spediæ dictę Diœcesis, atque à toto, & vniuerso dicto Clero vnanimiter, sponte, libere, & nemine penitus discrepante per verbum, Placet, & illas obseruare promittente, quatenus prolatæ approbatæ, acceptatæ, præcesso super illis scrutinio per dies duos ante in duabus cõgregationibus de more factis in Ecclesia Sancti Augustini dictæ terrę in pñtia magnę multitudinis populi dictę terrę, & infrascriptorũ testiũ ad hęc specialiter vocatorũ, & rogatorũ, de quibus oĩbus pmissis rogauerũt me notariũ publicũ, & Curię Episcopalis pfati Multũ Ill. ac Reuerendiss. Cancellariũ, & pręfati Synodi Secretarium infrascriptum. Actũ in terra Spediæ in dicta Parochiali Ecclesia Sãctę Marię pñtibus Mag. D.D. Ioanne Augustino Casono, & Augustino de Federicis I.V. Doctoribus Sarzanen. D.D. Iulio Castagnola, Paulo Oppicino, Andrea de Federicis, & Nicolao Rodoano de Spedia testibus ad premissa specialiter vocatis, & rogatis.

Ego Franciscus Burbonius ciuis Bononiensis, & Imperiali auctoritate Notarius publicus, & Curiæ Episcopalis præfati Multum Ill. ac Reuerendissimi D. Episcopi Cancellarius ac Synodi præfati Secretarius deputatus præmissis interfui Ideo me subscripsi in fidem præmissorum rogatus &c.

INDEX CAPITVM HARVM CONSTITVTIONVM.



INDEX EORVM, QVAE IN HOC CONSTITVTIONVM codice continentur.

A

D

E

I

L

M

N

O

Ora-

P

FINIS.

Etsi errores multi inter corrigendum ab ipso Exemplari fuerunt ablati (adeo mendosè scriptum erat); tamen fieri non potuit, quin & hi irrepserint. Quare, quando sunt maioris momenti, sic corrigantur.

fol. 4. in errores immersi.	*in erroribus immersi.*
fol. 9. SALVAGHVS.	*SERVAGHVS.*
fol. 10. genus humanum.	*genus hominum.*
ibidem ferte	*certè.*
fol. 16. quæ passionis.	*qua passionis.*
fol. 17. adesset.	*si adesset.*
fol. 20. spiritumq.	*spirituq.*
fol. 22. lu mine extincto.	*homine extincto.*
fol. 27. in sacrari inferantur.	*in sacrarium inferantur.*
fol. 41. ab ecclesia	*ab ecclesiæ.*
fol. 44. sponsum	*sponsam.*
ibidem concessum.	*concessiori.*
fol. 46. exemptos.	*detentos.*
fol. 49. saltatones.	*saltationes.*
fol. 50. sacrilegijs.	*sacrilegis.*
fol. 52. telam.	*tela.*
fol. 55. parocha.	*parochia.*
fol. 56. ne quæ.	*neque.*
ibidem potens.	*patens.*
fol. 57. codatur.	*condatur.*
fol. 58. ne sit.	*non sit.*
fol. 69. obseruandas.	*obseruanda.*
fol. 70. obnoxius.	*obnixius.*
fol. 72. puniatur.	*puniantur.*
fol. 87. præferant.	*proferant.*
ibidem partis.	*partes.*
fol. 93. Quò propius.	*Quò proprius.*
fol. 95. Nominum natura.	*Hominum natura.*
fol. 99. distante.	*dictante.*
fol. 101. muniendo.	*munienda.*
fol. 102. opere.	*opera.*
fol. 119. supelliceum.	*superpelliceum.*